IDEA COLLOQVII CHARITATIVI,

Cum Dissidentibus

Thorunij Anno Domini, 1645 indicti.

ACCESSIT

ANIMADVERSIO IN IOANNEM HVLSEMANVM, MINISTRVM VITEMBERGENSEM,

Cum Defensione Satisfactionis ab illo in eodem Colloquio Charitatiuo requisitæ, & ibidem exhibitæ.

AVTHORE

R. P. F. HIERONYMO à S. HYACINTHO,

Definitore Carmelitarum Discalceatorū Prouinciæ Polonæ, ac Concionatore Ordinario Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis.

Cum Superiorum permissu.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ, & Hæredum Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

Anno Domini, 1646.



ILLUSTRISSIMO PRINCIPI,
&
REVERENDISSIMO DOMINO,

D. MATTHIÆ LUBIENSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

LEGATO NATO, REGNI POLONIÆ PRIMATI, PRIMOQUE PRINCIPI.

IDEAM COLLOQUII CHARITATIVI, præsento Celsitudini Tuæ, Illustrissime PRINCEPS *&* PRAESUL, *cùm ipsum præsentare non liceat fructum, quem Tua Pastoralis pia solicitudo, & solicita pietas, ardentibus expetebat votis, & ad quem non modicis concurrebat expensis. Authoritate*

quippè S. Synodi Prouincialis, vna cum alijs Ill^mis & RR^mis Regni Præsulibus, selectos Theologos, eo fine, binis vicibus Thorunium, vbi locus prædicti Colloquij destinatus erat, direxisti, ac plerosq; proprijs sumptibus liberaliter sustentasti; quatenus nimirùm oues, quæ perierunt domus Israël, Bonus Pastor, in caulas Domini reuocares. Misisti eos ad Gentem conuulsam, & dilaceratam, quò scissuras eius, Deo cooperante, repararent. Misisti tanquam exploratores, quò animarum illarum vastitatem lustrarent. Misisti tanquam vigiles, quò annunciarent, si quid spei rebus lapsis. Non minùs auidus fructus, quàm de animarum periculo anxius, quemlibet ex missis à te operarijs interrogas? Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Quid scilicet agitur de illâ obscurâ & tetris errorum tenebris offusâ nocte? Non est, Ill^me Antistes, quod lætificet Iacob in operibus suis. Nox in suo cursu, medium iter habet. Profundo demersi sopore, dormiunt homines illi, & vana sua somniant, nec se de somno erigunt, vnâ tenebrarum catenâ colligati: etsi non desint quos lux sancta excitet; at arctis quibusdam, res priuata eorum, tenentur nexibus. Alligati sunt. Necdum animus est vincula disrumpere, aut iugum hæresis proijcere. Regiones illæ nondum sunt albæ ad messem; idcirco nec reuertimur, portantes cum exultatione manipulos nostros.

Non

Non ideò tamen Tuus Ill^me^ PRAESVL conatus, & sumptus, erit inanis; non ideò vacuus merito, priuandus præmio. Mens enim boni studij ac pij voti, etiamsi fructum non inuenerit capti operis, habet tamen præmium voluntatis. Quod ad aliorum cumulum meritorum Tibi Clementissima Maiestas Diuina adijciat, conseruet, adaugeat.

Ita vouet & precatur.

Ill^mæ^ ac Rnd^mæ^ Celsitudinis Vestræ,

Deuotissimus & humillimus cliens,

F. Hieronymus à S. Hyacintho,
Carmelita Discalceatus.

Præfatio ad Lectorem.

De Colloqvio Charitativo Thorunij indicto, variæ inter varios opiniones fuerunt; nonnullis consilium approbantibus, nonnullis improbantibus: quibusdam bonum exitum ominantibus, quibusdam nullum sperantibus. Et quidem doctissimus Pater Grauina S. Ordinis Prædicatorũ, *L. 2. Præscript: Cathol: Præscr: 3.* eruditè probat, ex multis Capitibus Hæreticos à disputatione de dogmatibus fidei iure repellendos esse: attamen ex merâ saltem benignitate Ecclesiæ, Colloqvia cum Hæreticis de rebus Religionis instituta, nec ille, nec quisquam eruditorum Catholicorum improbat; maximè si legitimè fiant, concurrentibus scilicet debitis circumstantijs, & cæteris requisitis: Multò magis, si non contentioso disputationis fragore & strepitu, sed pacificâ potiùs collatione res peragatur. Sic S. Augustinus Maximinum Episcopum Donatistarum requirebat, *Epist: 103.* quatenus causam fidei secum sic ageret, *vt pacificis*, inquit, *Collationibus nostris, omnes qui nobis communicant nouerint ab hæresibus, aut Schismatibus, quantùm Catholica distet Ecclesia, & quantùm sit cauenda pernicies, vel zizaniorum, vel præcisorum de vite Domini sarmentorum* In eum modum Colloqvium nostrum Thoruniense, vel ob hoc ipsum

Charita-

CHARITATIVVM appellatum, ex præscripto optimarum Instructionum instituendum erat. Nec spes saluberrimi fructus ex illo COLLOQVIO metendi, si forte subsequutum fuisset, deerat. Nam licet illi, cum quibus agendum fuerat, difficiles ad conuersionem censeantur, nec quantumuis conuincantur, facilè errorem relinquant, cui pertinaciter adhærent; adhuc tamen Ecclesia suo inde emolumento non fuisset priuata. Nam vt benè S. Bernardus *Serm: 64. in Cant:* ait: *Non propterea sanè nihil se egisse putet, qui Hæreticum vicit & conuicit, hæreses confutauit, &c. verisimilia à vero, clarè apertèq; distinxit, praua dogmata, planâ & irrefragabili ratione, praua esse monstrauit: prauum deniq; intellectum extollentem se aduersus scientiam Dei in captiuitatem redegit. Nempè, cæpit nihilominùs, qui talia operatus est vulpem, etsi non ad salutem illi; & capit eam Sponso, & Sponsæ, quamuis aliter. Nam etsi Hæreticus non surrexit de face, Ecclesia tamen confirmatur in fide. Et quidem de profectibus sponsæ, sponsus sine dubio gratulatur. Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Vel hunc ergo fructum è nostro COLLOQVIO reportandum sperabamus, etsi vlterioris quoq;, aliquâ saltem ex parte, non dubia expectatio fuerat. At quia res ex voto non successit, COLLOQVIVMQVE sine colloquio tribus mensibus protractum, transijt, ijs de causis, quæ

sis, quæ

ſis, quæ ex Protocollo publici iuris facto apertiùs conſtabũt, propoſitum pium ſine vllo pro tunc effectu, aliâ viâ, puto, plures ex Catholicis noſtris Doctoribus reſarciendum cogitabunt. Interim ex parte quoq; mea, aliquid in hunc finẽ conferre deſtinaui: IDEAM ſcilicet prædicti COLLOQVII CHARITATIVI, non à me primò cõceptã & adinuẽtã (ſi formã eius ſpectes) ſed à primis Regni nobiliſſimis ingenijs, meo tamen priuato (ſi rerum tractatũ attendas) nõ publico Collegij noſtri Catholici nomine, (ne fortè mihi quidquã arrogẽ, aut cuipiã derogẽ) producẽdo, & rudiori penicillo delineãdo. Rudiori inquã penicillo, ſiue ſtylũ, ſiue eruditionẽ conſideres: ſtylũ enim ſimplicẽ, familiarẽ, & minimè elaboratum teneo; monitus à S. Auguſtino L. 1. de Gen: contra Manich: c. 1. *Non ornato politoq́; ſermone, ſed rebus manifeſtis conuincendam eſſe vanitatem Hæreticorum.* Arcana quoq; profundioris eruditionis non ingredior, ſcopo, quem infra in Procemio expreſſi, limitatus; etſi, ne forte in neceſſarijs Lectorem deſtituam, plerumq; aliò, vnde id petat, remitto. Noua quoq́; & hactenus inaudita non curo adducere, cautelæ Vincentij Lerinenſ: memor: *Quæ didiciſti, ita doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.* Penicillo item potiùs, quàm calamo præſens Scriptum me exarare indico, quo mollior penicillus, mitiorem ſtylum, quàm duriuſculum calami acumen, adumbret: tum vt

IDEA

IDEA COLLOQVII CHARITATIVI indolem charitatis spiraret; tum vt eidem S. Augustino morem gererem, dicenti Epistola 137. *Non obijciatis Hæreticis, nisi, quia non sunt Catholici, ne similes illis sitis, qui hominum crimina colligunt.* Ideoq; Aduersarios nonnisi *Caluinistas*, id est, *nō Catholicos*, toto hoc Opusculo voco. Si verò alicubi fortè *Reformatos* voco, nequaquam eo vocabulo vllam ipsis intendo Reformationem Ecclesiæ attribuere, sed solam præsumptam prætensionem illorum indigitare. Porrò vel ex ipso Aduersariorum meorum ingenio facilè præsagio, quod aliquando doctissimus Rabanus *in Matth: Prolog:* præsentiebat: non defuturos scilicet, qui *magis parati aliena lacerare, quàm propria condere; magis præsumptioni, quàm pietati, hunc deputabunt laborem. Verùm quia nemo potest calumniã & inuidos morsus deuitare, nisi qui omninò nihil scribit, magis eligo surdâ aure transire querimoniam, quàm otiosè torpens, Christi negligere causam.* Cæterùm exigui huius Operis mei, haud exiguum, cum Lactantio *L. de Opificio Dei, cap: 21.* arbitror me reportaturum præmium, *Si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cæleste direxerit:* immò si vel vnus quispiam errore irretitus, saniorem hinc receperit mentem, atq; suâ conuersione, Christi Ecclesiam, vniuersamq; Cælestem Curiam lætificauerit.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII,

Animaduersionis in Hulsemanum.

LIbrum intitulatum, *Animaduersio in Ioannem Hulsemanum Ministrum Vitembergensem,* Adm: R. P. Hieronymi à S. Hyacintho Ordinis PP. Carmelitarum Discalceat: legi, perspexi, & diligenter examinaui: nihil inueni quod Sanctæ Fidei Catholicæ, & bonis moribus contrarium esset. Quinimmò omni eruditione & exacto iudicio conscriptum, atque supra omnia zelo defendendæ fidei ad conterendam prauitatem Hæreticam expeditum, non solùm typo publico vtilem, sed necessarium iudicaui.

Christophorus Sapelius, Can: Crac:
S. R. M. Secretarius, m. p.

Approbatio alterius Censoris Ordinarij, Ideæ, & Animaduersionis in Hulsemanum.

IDeam *Colloquij Charitatiui, cum Animaduersione in Ioannem Hulsemanum Ministrum Vitemberg:* à R. P. Hieronymo à S. Hyacintho Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Ordinario Concionatore conceptam, Ego Iacobus Vstiensis, S. Theologiæ & I. V. Doctor, ac Ordinarius in Diœcesi Cracouiensi Librorum Censor, legi. Cumq; in Ideâ præcipuæ veritates Catholicæ eluciden-tur & ab imposturis Hæreticorum vindicentur: in Animaduersione verò opportunè, dextrè, ac intra fines modestiæ, calumniæ à dicto Ministro, contra institutum Charitatiui Colloquij, & commune Orbis votum, feliciorem exitum tam salutaris consilij præstolantis, confictæ, repellantur; ideoque vt possint typis mandari, do, & concedo facultatem. Cracouiæ die 18. Martij, 1646.

MIacobus Vitellius Ecclesiæ S. Floriani Canonicus, in Academiâ Cracouiensi S. Theologiæ Professor, recognosco, quod Scriptum R. P. Hieronymi à S. Hyacintho Ordinis PP. Carmelitarum Discalceatorum, Concionatoris Ordinarij Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis intitulatum, *Idea Colloquij Charitatiui cum Dissidentibus, indicti Thorunij,* vnà cũ Appendice *Animaduersionis in Ioannẽ Hulsemanũ Ministrũ Vitemberg:* vidi: vtile Ecclesiæ Dei, eruditum, atq; confutandis prauis Hæreseos erroribus idoneum iudicaui. Idcirco ad publicam Christi fidelium vtilitatem, vt in lucem prodeat, censeo. Datum in Collegio Maiori Academiæ Cracou: die 24. Martij, A. D. 1646.

FA-

FACVLTAS ORDINIS.

F. PETRVS à S. HYPPOLITO, Visitator Generalis in Prouincia S. Spiritus, in Polonia, Carmelitarum Discalceatorum: quantùm ad me spectat, facultatem facio, vt Liber, cui titulus: *IDEA COLLOQVII CHARITATIVI, &c. cum ANIMADVERSIONE IN IOANNEM HVLSEMANVM, Ministrum Vitembergensem,* ab Adm: R. P. F. Hieronymo à S. Hyacintho Definitore Prouinciali prædictæ Prouinciæ conscriptus, & à Viris grauibus & doctis nostræ Religionis approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu propriâ subscriptas, & sigillo officij nostri munitas dedimus. Varsauiæ die 12. Martij, 1646.

F. Petrus à S. Hyppolito, Visitator Generalis. m. p.

EX commissione Adm: R. Patris Nostri, P. F. Petri à S. Hyppolito, Visitatoris Generalis Prouinciæ S. Spiritus per Poloniam, perlegi hunc librum, cui titulus: *IDEA COLLOQVII CHARITATIVI, &c. cum ANIMADVERSIONE IN IOANNEM HVLSEMANVM, Ministrum Vitembergensem*, conscriptum à R. P. F. Hieronymo à S. Hyacintho Definitore Prouinciæ Nostræ, & Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Concionatore Ordinario: nihilq; reperi in eo Fidei Catholicæ, ac bonis moribus repugnans: immò omni ex parte dignum iudico, vt in publicam vtilitatem typis mandetur. Datum Varsauiæ in Conuentu nostro S. Ioseph, die 28. Februarij, 1646.

F. Felicianus ab Omnibus Sanctis, Prior Carmelitarum Discalceatorũ Conuentus Varsau.

A 1

Librum

IDEA
COLLOQVII CHARITATIVI, CVM DISSIDENTIBVS,
Thorunij A. D. 1645. Die 28. Augusti, INDICTI.

PROOEMIVM.

AD assequendum optatissimum Charitatiui Colloquij, Thorunij indicti, finem, nulla opportunior Instructio formari poterat, præ illâ, quam per omnia conformem, & S.R.M. Dominus noster Clementissimus: & Illustrissimus ac Reuerendissimus Primas Regni Archiepiscopus Gnesnensis, Partibus, ad prædictum Colloquium, conuocatis, & congregatis, porrexerunt. Quâ quidem Instructione, totum negotium in tres principales Actiones distributum erat. *Instructio Colloquij Charitatiui.*

Prima Actio eum continebat ordinem; vt inprimis Capita præcipua doctrinæ controuersæ, per breues, simplices, & apertas Propositiones, à singulis Partibus, iuxta propriam cuiusque sententiam, exhiberentur. Deinde earundem Propositionum planior, si oporteret, explicatio, siue declaratio, subijceretur. Tandem depuratio, à falsò imputatis erroribus, vel calumnijs, subsequeretur.

Vltimò verò, ex vnanimi Partium consensu & confessione, Antitheses colligerentur; ex quibus manifestè constaret, in quo demũ sit verè & cõtradictoriè inter Partes dissensus.

Ad alteram Actionem spectabat disquisitio veri vel falsi, non tam per strepitum interminabilis Disputationis Scholasticæ, quàm per candidam, & simplicem veritatis inuestigationem, factâ trinâ ad summum instantiâ; quantùm scilicet ad dispiciendum prudentiâ & consilio, iudiciumuè prudens de collatis ferendum, sufficeret.

Ad tertiam deniq; Actionem, quicquid circa Praxes & mores controuersum, & discutiendum occurreret, reuocabatur: ne fortè his importunè priores Actiones, solito more Aduersariorũ, interrũperentur, vel interturbarentur.

Ad normam & amussim præstantissimæ huius Instructionis, firmus & immobilis animus erat Catholicorum, in hoc toto negotio procedendi; & ne latum quidem vnguem ab eâ recedendi: quo nomine non modico tempore cum Dissidentibus decertatum est, exigentibus Catholicis, quò prædictæ Instructionis legibus integerrimè satisfieret: quâ in re, si mox ab initio facilior Partium consensus accessisset, felicior totius negotij exitus successisset.

Eo porrò non obtento, multorum, præsertim ex Dissidentibus, ardentia erant vota, vt, quandoquidem communi, & publicâ collatione mutuâ, ob elapsum temporis destinati spatium, non poterat cum effectu ad prædictam formam redigi Colloquium indictum, priuatâ saltem alicuius operâ, Idea illius præconcepta, scripto aliquo exararetur, & iuxta præfatæ Instructionis præscriptũ cõficeretur.

Opinor

Opinore quidem aliquos ex nostro Catholico Collegio Theologorum, ad illud Colloquium cum Dissidentibus instituendum, destinatorum, non defuturos, qui vberiori & eruditiori calamo id præstituri sint: nihilominus mihi quoq; , pro tenui modulo, visum est hanc impendere operam, quò postulationi quorundam obsecundarem; & vel vmbram saltem laudatissimi, simul & optatissimi, illius Operis exhiberem.

Illud verò ante omnia insinuandum arbitratus sum, nolle me hoc negotium cum vtraq; Parte Dissidentium, id est cum Parte Lutheranorum, & Caluinistarum, peragere; licet vtraq; Pars ad Colloquium illud fuerit aduocata: sed solùm cum Caluinistis, qui magis promptos, magisq; tractabiles, præ Lutheranis, sese exhibuerunt. Etsi occasionaliter quoq; tangam nonnunquam ea, quæ Lutheranos concernunt: pleraq; verò illorum, quæ ipsis cùm Caluinistis sunt communia. *Intentio Authoris cum Caluinistis tãtum agẽdi.*

Totum porrò Tractatum iuxta normam memoratæ Instructionis, (quam quoad fieri poterit, saltem in substantialibus, exactè seruabo) in tres partiar Actiones. Primam Actionem vocó, *Liquidationem Doctrinæ Controuersæ*. Secundam: *Disquisitionem Veritatis*. Tertiam: *Discussionem Abusuum*. Circa duas priores Actiones, aliqua hic præmittenda sunt: circa tertiam verò nihil occurrit, præter id quod suo loco dicetur. *Distributio Operis.*

Quantùm ergo ad primam Actionem attinet, eam per septem Capita distribuam, iuxta Septem præcipuas Materias, inter Catholicos & Caluinistas Controuersas.

Primum Caput erit: *De Verbo Dei, siue de Regulâ credẽdi.*
Secundũ Caput: *De Ecclesia, quæ est Iudex Cõtrouersiarũ.*
Tertium Caput: *De Christo, & eius in terris Vicario.*
Quartũ Caput: *De Peccato Originali & Actuali.*
Quintũ Caput: *De Gratiâ, Iustificatione, & bonis operibꝰ.*
Sextum Caput: *De Sacramentis, in genere, & in specie.*
Septimũ Caput: *De Cultu Dei, & Sanctorum.*

Singula hæc Capita per quatuor Paragraphos distribuam. In quorum primò Propositiones vtriusq; Partis exponam. In secundo, Declarationes Propositionum adducam. In tertio, Depurationem ab iniquis & prætensis imputationibus adferam. In quarto, Antitheses, siue ea, in quibus contradictoriẹ Partes dissentiunt, eliciam.

Sciẽdũ verò Caluinistas exhibuisse Thorunij suum scriptum, quod hæc eadem septem Capita Doctrinæ controuersæ complectebatur. Esto non pauca illic interseruerint, in quibus nobiscum conueniunt: cùm tamen illa solùm secundum Instructionem Regiam porrigenda erant, de quibus inter nos, & illos, interuenit controuersia; & non multiplicanda alia. Forsan in eo secuti sunt ingenium Authoris Confessionis Augustanæ: in quâ ille non solùm ea posuit, in quibus fuit dissensus, sed etiam illa, in quibus fuit cum Catholicis consensus. At parum prodest Aduersarijs, nec est vnde sibi placeant, quòd non omnia orthodoxæ fidei dogmata reiecerint, nec omnes omnium hæresum errores arripuerint; si saltem in aliquibus à fide Catholicâ recesserint, & in aliquibus ad hæreses damnatas accesserint. Nã vt pulchrè S. August: ad illa Psalmi verba: *Redimet in pace animam me-*

Hæreticis non prodest quod in multis consentiant, si in paucis dissentiant.

Psal: 54.

mam meam, ab his qui appropinquant mihi: Quoniam inter multos erant mecum: de Hæreticis sui tẽporis dictum explicans, ait: *Quare dixit: Qui appropinquant mihi? quia in multis erant mecum.* &c. *Baptismum habebamus vtriq; : in eo erant mecum. Euangelium vtriq; legebamus: erant in eo mecum. Festa Martyrum celebrabamus: erant ibi mecum. Paschæ solemnitatem frequentabamus: erant ibi mecum. Sed non omnino mecum. In schismate non mecum, in hæresi non mecum. In multis mecum: in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum: non eis prosunt multa in quibus mecum.* Hæc S. Augustinus. quæ à simili dicit Ecclesia Christi Aduersarijs: Non eis prodest quod appropinquant mihi; quòd scilicet in multis sunt mecum, si vel in paucis non sunt mecum.

Inseruerunt item nonnulla alia in eodem scripto Caluinistæ, quæ vel offensam præferebant, vel accessoria tantùm erant, vel deniq; minùs opportuna. Quibus omnibus omissis, præcipua quæq; seligo, & propono ex eodem scripto ipsorum: si non omnia semper proprijs ipsorum terminis, saltem quantùm fieri poterit, simillimis & æquiualentibus, ratione maioris compendij.

In secundo Paragrapho, hoc est, in Declarationibus Propositionum, plerumq; paulò fusior sum, ex eo, quòd non solùm explicare propositiones intendo, verùm etiam semina quædam rationum & probationum insinuo, & aliquando clariùs ipsas probationes exhibeo: & contra obiectiones Aduersariorum, solutionum fundamenta subministro. Eo fine, (licet fortasis vltra præscriptum Instructionis) quia cùm non habuerim animum, vt postmodum indi-

 cabo

cabo, singula in Actione secundâ, per Disquisitionem prosequi, non tamen iudicaui relinquenda sine aliquo fulcro probationum, vel sine aliquo indice solutionis Obiectionum.

Cùm verò in fine Actionis primæ elicio Antitheses, & ostendo, siue colligo consensum vel dissensum inter Partes, non me refero ad totum Cætum Caluinistarum, vel ad alios Scriptores, siue libros illorum, sed præcisè solùm ad porrectum illud scriptum ipsorum, iuxta illius contenta.

Quantùm ad secundam Actionem attinet, eam ad tres duntaxat Principales Controuersias restringo.

Prima est, *An sola Sacra Scriptura sit Regula credendi & agendi: & sola illa Iudex Controuersiarum Fidei?*

Secunda est, *An Iudicium Ecclesiæ in rebus fidei, sit infallibile?*

Tertia est, *An Concupiscentia in Renatis, sit verè & propriè peccatum?*

Has solas tres Controuersias in Actione secundâ expendam; tum quia non vacat omnes & singulas prosequi, quod in immensum volumen, imò & plura volumina excresceret; tum quia hæ tres Controuersiæ, taliter, vt dixi, principantur inter alias, vt, si vel in his duntaxat fieret consensus, perfecta in omnibus alijs sequeretur concordia.

Principalis Cōtrouersia, de Regula, & Iudice Controuers.

Et quidem Controuersiam, tum de Regula credendi, tū de Iudice Controuersiarum infallibili, esse huiusmodi, ex cuius concordi decisione, perfecta & integra inter Partes sequitur concordia, apud omnes est in confesso. Vbi enim conuenimus non solùm verbum scriptum, sed etiam verbum traditum esse Regulam credendi: Et rursum vbi Ecclesiæ

clesiæ iudicium infallibile de tali, & non alio sensu scripturæ, per Prælatos eiusdem Ecclesiæ pronunciatum, recognoscimus, non restat, nisi iungere dextras.

Item de Concupiscentia, an sit verè & propriè peccatum? vnde plurimi errores oriuntur.

Illa item Controuersia de Concupiscentiâ, est ferè omnium dogmatum, in quibus Aduersarij recedunt à Catholicis, radix & origo. Ex eo enim quod teneât Concupiscentiam illam, esse verè & propriè peccatum: tenent consequenter, peccatum per Baptismum non tolli aliqua infusione gratiæ, expulsiuâ maculæ illius, sed tantùm non imputatione peccati originalis, imputatione verò iustitiæ Christi: & idem à simili, de alijs quoq; peccatis. Quia verò iustitia Christi est perfectissima, si illâ solâ homo iustificatur, nullâ ampliùs tenetur, secundùm illos, obligatione satisfaciendi pro suis peccatis. Sic tollitur necessitas, qualem ponunt Catholici, operum pœnitentialium, tollitur Purgatoriũ, tolluntur Suffragia pro defunctis, tollitur vsus Indulgentiarũ. Ampliùs: si Concupiscentia est peccatum, liberũ arbitriũ periclitatur, homine necessario peccãte; siquidẽ nõ est liberũ homini non concupiscere. Non poterit item impleri lex Dei, quæ prohibet concupiscere, per illud præceptum: *Non concupisces:* quod Aduersarij referunt ad hanc Concupiscentiam: quæ sic remanet in renatis, vt eius motus in hac vitâ vitare non possimus. Et cùm peccatũ originale, vbi est, ex naturâ suâ, natum est inducere mortem; hinc omnia peccata, cùm ex concupiscentiâ proueniant, ex natura sua erunt mortalia, nulla venialia. Et cùm concupiscentia continuò maneat & immisceatur in operibus nostris, ideo omnia opera, quæ etiam videntur bona, non

erunt nisi

erunt nisi sordes & inquinamenta, consequenter nullum in ipsis meritum vitæ æternæ, imò reatus damnationis æternæ: Et sicut nulla vis inerit eis merendi, ita nec vlla vis satisfaciendi. En quot dogmata Aduersariorum in hoc vno dogmate fundantur, & ex illo profluunt?

Hinc quæstio de Peccato Originali, inter grauissimas quæstiones semper à Catholicis Doctoribus censebatur: & ex errore circa peccatum originale, plures hæreses oriebantur. Vnde S. Augustinus *Lib: 1. adu: Iulian: c. 2.* de Controuersia, circa peccatum originale, loquens, eam dixit ad fidei fundamenta pertinere, & subdit: *Quisquis in Christianâ fide vult labefactare, quod scriptum est: Per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur; totum quod in Christum credimus, auferre molitur.* Et in *L. de Pecc: Orig: c. 24. In causa duorum hominum, quorum per vnum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit.* Decisâ ergò hâc quæstione, an concupiscentia in Renatis, sit peccatum originale verè & propriè? remanent accommodatæ maximâ ex parte res fidei: & solutæ multæ difficultates, quæ nobis cum Aduersarijs, contrarium sentientibus, intercedunt. Ideò hanc tertiam Controuersiam, tanquam vnam ex principalibus, in secundâ Actione propono trutinandam.

Præcipua pars fidei circa dogma, de Peccato originali.

Cæterùm, tam in primâ quàm in secundâ Actione, non intendo in subtiliora & profundiora Controuersiarum intrare, sed tantùm ipsas veritates Catholicas, breui, planâ tamen, & facili methodo proponere, & solidiùs comprobare, ac

Modus procedendi Authoris: & cum quibus agit.

re, ac potiores inſtantias,ſeu obiectiones in contrarium,diſſoluere. Non enim ſcribo pro ijs quibus eſt animus diſceptandi, ſed pro illis tantùm, qui ſincero tenentur deſiderio, ſinceram doctrinam Catholicam,ſimpliciter, & in ſuâ puritate perſpiciendi. Pro ijs inquam,quos anxia & perplexa conſcientia angit, & in ſuâ Religione non ſatis ſecuros, arguit, atq; ad inueſtiganda tutiora exſtimulat.

Quos verò proteruia ſua in pertinaci errore detinet, & pruritus contradicendi, & flexuoſis argutiarum anfractibus laborandi, vel magis ludendi, delectat,ad illos noſtros Authores, qui fuſiùs, magnâ cum eruditione, Controuerſias fidei proſequuntur, remitto. Illic licebit illis ingenium ſuum exercitare, & oſtentare, ſi hoc potiùs, quàm veritatem inueſtigare, velint. His quippè parùm prodeſt, quantùmuis doctrina fidei Catholicæ, maiori proponatur apparatu: ſeu prolixiori diſputatione comprobetur. Semper enim contentioſus inueniet quod obijciat,quod detorqueat,quod cauilletur. Vt meritò moneat Apoſtolus, Tit: 3. *Stultas autem quaſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: ſunt enim inutiles, & vana.* Ac mox indicans, de quibuſnam contentionibus,& cũ quo genere hominum, loquatur,ſubiungit: *Hareticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus.* Stulta igitur, ex mente Apoſtoli, longior cum Hæreticis contentio: quia inutilis & vana; id eſt, ſine fructu: & hoc ideò, quia hæreticus homo peruerſus eſt, & proprij tenax iudicij.

Vanũ eſt cum Hæreticis obſtinatis cõcertare.

Prodeſt nihilominùs, quòd multi ex noſtris Doctoribus Ca-

bus Catholicis, etiam contra huiusmodi argutulos, laborē suum impendunt, prolixioribus, grandioribusq; Voluminibus illos confutando, ne sibi sapientes videantur, & vt integra Maiestas inconcussæ Religionis, & fidei Catholicæ appareat, & ab offusis Hæreticorum nebulis vindicetur. Hunc porrò laborem, illis lubens cedo.

Monomachia cum Hæreticis renunciatur.

Ad vltimum, si fortasis quispiam Aduersariorum mecum certare velit, subijcio, eam, quam S. Augustinus Iuliano quondam fecit, declarationem, Lib: 3. contra Iulian. *Videris*, inquit, *si tu hoc induxisti pactum, & placitum, cum Pelagianis, vt si victus fueris, nihil vlterius illi audeant. Ego autem, absit, vt ad Monomachiam vos prouocem: quos vbicunq; apparueritis, vbiq; diffusus Christi debellat exercitus.* Iterum Lib: 6. *Absit vt mihi apud Catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos, arrogare non pudet. Vnus sum è multis, qui profanas vestras nouitates, vt possumus refutamus, sicut vnicuiq; nostrûm Deus partitus est mensuram fidei. Antequam essem natus huic mundo, & antequam essem renatus Deo, multa Catholica lumina, vestras futuras tenebras redarguendo, præuenerunt.*

ACTIO

ACTIO PRIMA.

Liquidatio Doctrinæ Controuersæ, *Inter Catholicos, & Caluinianos.*

CAPVT I.

DE VERBO DEI.

Siue

DE REGVLA CREDENDI.

Propositiones Partis Vtriusq́. §. 1.

CATHOLICORVM.

1. VERBVM DEI scriptum, Canone Concilij Carthaginensis tertij, & nouissimè Concilj Tridentini comprehensum, iuxta vulgatam versionem, per idem Concilium Tridentinum, pro Authenticâ, declaratam, est certa & firma Regula credendi, & agendi.

2. Verbum Dei, non solùm scriptum, sed etiam traditum, est regula credendi, & agendi.

3. In Controuersijs de dogmatibus fidei, Iudex Supremus & infallibilis est Ecclesia, per Summum Pontificem Romanum; vel per Concilium Generale legitimum, id est, à Summo Pontifice approbatum: ex certa perpetuaq́; Spiritus S. assistentiâ, ad normam Verbi Dei scripti, vel traditi, definiens, & determinans.

CALVINISTARVM.

Vide Chronol. Gaulterij circa sæculũ 16 in Nono errore Caluini, contradictiones Caluinistarũ, & ipsius Caluini circa Canonem librorum S. Scripturæ.

1. VErbum Dei ſcriptum in V. T. per Moyſen, & Prophetas, quatenus in Hebraico tantùm, non in Græco Canone extat: Et in N. T. per Euangeliſtas, & Apoſtolos, non iuxta verſionem vulgatam, ſed quatenus cum ipſis fontibus Hebræis in veteri, & Græcis in nouo Teſtamento conſentit, eſt infallibilis & perfecta Regula Fidei, & Cultus Diuini. Ita illi in ſuis declaratorijs Propoſitionibus. *c. 1. n. 1. 2. 3.*

2. Nullum hodie Verbum Dei extat, aut certò oſtendi poteſt, de dogmatibus fidei, aut præceptis vitæ ad ſalutem neceſſarijs, quod non ſit ſcriptum, aut in ſcripturis fundatum, ſed tantùm Traditione non ſcriptâ Eccleſiæ commiſſum. *n. 5.*

3. Nullus Pontifex, aut Epiſcoporum Cætus, in Controuerſijs Fidei, id quod non habetur apertè in Scripturis, vel ex eis certâ & euidenti conſequentiâ non deducitur, & primitiuæ Eccleſiæ ſenſu non firmatur, poteſt tanquam articulum fidei decernere, & credendum imperare; ſed omnium, tum credentium, tum docentium Spiritum, & iudicium, ſecundum Scripturas, ceu vnicam regulam, & legem Summi Iudicis infallibilem, regulandum, & ab Eccleſiâ, eiuſq; Paſtoribus diiudicandum eſſe. *n. 6. & 7.*

Declaratio Propoſitionum. §. 2.

Quid Verbum Dei ſcriptum.

1. PEr Verbum Dei ſcriptum, nihil aliud intelligitur, quàm doctrina diuinitùs reuelata, & per Scriptores Sa-

res Sacros, cum speciali Spiritus S. assistentiâ, & directione literis consignata; continens Veritates Speculatiuas & Practicas: quibus scilicet erudimur, quid credendum? quidué agendum sit? in ordine ad assequendam vitam æternam.

2. Canon hoc loco duobus modis sumi potest: Vno modo pro normâ, amussi, & regulâ directiuâ, tam quoad credenda, quàm quoad agenda. Alio modo pro Cathalogo, seu numero legitimo. Libri itaque Sacræ Scripturæ, vtroq;modo vocantur Canonici, & in quantùm sunt Regula credendi, & agendi, vt dicitur in primâ Propositione: & in quantùm legitimo Cathalogo continentur, in quo sensu Canon sumitur in eâdem primâ Propositione, cùm ex Concilio Carthaginensi, & Tridentino, allegatur. *Quot modis dicitur Canon? Videatur Granina l. 4. Cath: Præscrip: de Verbo Dei scripto, fol: 240. Impress: Neapol.*

3. Vulgata versio illa apud nos dicitur, quæ partim ab antiquo, & vt credibile, (dum de alio recentiori non constat Authore) à tempore Apostolorum, ex Græco idiomate Septuaginta Interpretum in Latinum facta, & à S. Augustino versio Italica appellata: partim ex Hebræo à S. Hieronymo, vel alijs quoq; antiquis concinnata est: idq; quoad solum vetus Testamentũ intellige: nouum enim Testamentum, totum est antiquæ versionis Latinæ, à S. Hieronymo duntaxat, iussu Damasi Papæ, correctæ. *Vulgata versio quæ dicitur. Granina l. 4. de Bibliorũ vers. fol: 293.*

4. Authenticum Scriptum illud vocatur, quod constat argumento aut testimonio irrefragabili, vel esse ipsum Originale, vel Originali conforme. Illam ergo Scripturam Sacram vocamus Authenticam, quam constat esse irrefra- *Authenticũ quid dicitur.*

 gabili

gabili argumento, seu testimonio, vel Originalē, vel Originali conformem: cui proinde irrefragabilem tribuimus authoritatem, in his quæ ad fidem, aut mores ad salutem necessarios spectant; taliter vt nullus Christianorum eam reijcere audeat, vel illi contradicere præsumat.

Traditio quid. 5. Traditio propriè & strictè sumpta, nihil est aliud quàm Verbum Dei, literis Canonicæ Scripturæ non consignatum, sed voce tenus in Ecclesia depositum: licet postmodum in libris aliorum Authorum scriptum reperiatur.

Quotuplex. 6. Traditio est triplex: Diuina, Apostolica, & Ecclesiastica. Illa est Diuina, quæ à solo Christo originem sumit. Cuius est signum, quando ea continet, quæ nonnisi Christū authorem poterant habere, & per solam potestatem excellentiæ institui: cuiusmodi sunt pleraq; mysteria fidei Scripturis nō consignata: sicut numerus, species, forma, materia, & effectus Sacramentorū. Apostolica traditio est, quam vniuersa tenet Ecclesia tanquam Sacrosanctum: & nullo certo tempore aut Concilio institutum reperitur, nec ministerialem Apostolorum potestatem excedit. Cuiusmodi *1.Cor.11.* erant illa, de quibus meminit Apostolus: *Cætera cùm venero disponam*, Quadragesimale Ieiunium, & pleraq; alia. Ecclesiastica traditio est, cuius initium ad Pontificem, vel Concilium aliquod, refertur. Cuiusmodi est Cælibatus Sacerdotū, annua Confessio, &c. Et huiusmodi quidem Traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ, non eatenus contradistinguuntur Diuinis, quasi sint hominum commēta: sed quatenus non immediatè à Christo veniunt, sed per ministerium

sterium Apostolorum, vel Apostolicorum, hoc est, Successorum Apostolorum; nimirum Summi Pontificis, & Episcoporum in Concilijs congregatorum, ex potestate sibi traditâ, & ex suggestione Spiritus S. perpetuò & infallibiliter, ex vi promissionis Christi, tam ipsis, quàm olim Apostolis, assistentis, fidelibus in Ecclesia porriguntur. Ideoq; non tam humanæ, quàm Diuinæ Traditiones censentur. Et Traditiones quidem immediatè Diuinæ, atq; Apostolicæ, nomine verbi Dei veniunt, & ex æquo cum verbo Dei scripto currunt: Traditiones verò Ecclesiasticæ, æqualem cum alijs Ecclesiæ decretis sortiuntur authoritatem. Omnes nihilominùs ad fidem, & morum disciplinam, firmissimum robur habent, & inconcussam ac inuiolabilem obtinent authoritatem; nisi sint de genere illarum Traditionū, quæ circa aliquos ritus ad tempus statutæ deprehenduntur, sicut & nonnulla Apostolorum decreta fuerant, quæ postmodū expirârunt: quale illud erat, de non comedendo suffocato.

Traditiones quomodo diuina.

7. Cùm ad legitimum ordinem iudicij requiratur, non solùm Lex, sed etiam Iudex: parùm enim iuuat habere legem, quam præsertim vtraq; pars litigantium in suum posit trahere fauorem, nisi adsit Iudex legem ipsam applicans: ideò vltra Scripturam Sacram, & Traditiones, quæ duo integrum Verbum Dei, (iuxta dicta præcedenti numero) & vnicam atq; adæquatam, credendi & agendi, Regulam constituunt, necesse est constituere Iudicem Controuersiarum in materiâ fidei & morum: qui secundùm prædictam Regulam determinet, de quibus contingat aliquos litigare.

Quæ Regula fidei.

8. Hu-

Qui Iudex. 8. Huiuſmodi Iudex dicitur, & declaratur in Propoſitione tertiâ, Eccleſia: per Summum Pontificem Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem, vel per Concilium legitimum, ab eodem ſcilicet Summo Pontifice, velut Capite Eccleſiæ, approbatum, controuerſa decidens.

Vnde infallibilis. 9. Prædictus Controuerſiarum Iudex vocatur infallibilis, non ex humanâ aliquâ ſapientiâ, vel quâuis excellentiâ: ſed ex certâ perpetuâq;, iuxta Chriſti promiſſum, Spiritus Sancti aſsiſtentiâ, & directione. Dicitur idem determinans, non ex proprio arbitratu, ſed iuxta normam ipſius Verbi Dei ſcripti, vel traditi.

Quomodo certũ de fide, quod Põtifex non poſſit errare? Bell: de Rom: Põt: l. 4. c. 2. 10. Etſi verò nonnullis Doctoribus Catholicis, non ſit certum de Fide, quòd Pontifex, abſq; Generali Cõcilio, non poſsit errare; conſequenter contrarium aſſerentes, putant non incurrere hæreſim: cenſent tamen huiuſmodi proximos eſſe hæreſi, & erroneæ omninò opinionis. At Summum Pontificem, ſimul cum Cõcilio, aliquid determinantem, omninò non poſſe errare, certum eſt de fide apud omnes Catholicos. Eâq; de causâ Propoſitio illa diſiunctiuè loquitur, de Summo Pontifice, vel de Concilio ab illo approbato; ac per hoc vtroq; ſimul concurrente.

Aduerſarijs ſola Scriptura Iudex. 11. Porrò Aduerſarij Iudicem Controuerſiarum non agnoſcunt, niſi ſolam Scripturam Sacram, ad quam ſolam & vnicam in omnibus difficultatibus ſeſe reuocant, & à quâ ſolâ omnes Controuerſias decidi volunt. At apud Catholicos Scriptura Sacra, etſi (vt dictum eſt) ſit norma & Regula fidei,

la fidei, non tamen potest esse Iudex in Controuersijs Fidei. *Cur non Catholi-cis.*
Nam vltra dicta *n. 6.* Scriptura Sacra duo continet: Literã, & sensum. Secundum literam notum est, non posse Sacram Scripturam esse Iudicem: quandoquidem manifestâ experientiâ constat, duas contrarias hæreses, vti literâ Scripturæ, ad oppositos errores suos confirmandos. Sic enim Sabelliani tollebant mysterium Trinitatis, quia ad literam illam spectabant, vbi Christus ait: *Ego, & Pater, vnum sumus.* Ex qua litera deducebant, Patrem & Filium, vnam eandemq; esse Personam, differre tantùm secundum diuersa officia seu operationes. Ariani è contrà Filium dicebant, non modò in personâ, sed etiã in naturâ differre à Patre, & illo inferiorẽ esse: quia ad literam illã spectabant, vbi Christus dixerat: *Pater maior me est.* Nec poterant iudicio illius Scripturæ: *Ego, & Pater, vnum sumus*, conuinci euidenter: illud enim *vnum sumus*, ad vnitatem aliam quàm naturæ referebant; nec vllo alio claro & euidenti textu Scripturæ putabant se conuinci, quòd hoc loco, *vnum sumus:* pro vnitate naturæ accipiendum foret. Illi è contrà, Sabelliani scilicet, ex eodem loco non modò identitatem naturæ, sed etiam Personæ colligebant; nec conuinci se putabant euidenter iudicio vllius alterius Scripturæ, sic de naturâ, quòd non de personâ, locum esse intelligendum. Quæcunq; enim in contrarium afferebantur, ad diuersa munia, vel operationes eiusdem Personæ, non ad diuersas referebant Personas: sicque omnia Scripturæ loca eludebant. Non igitur potest esse Iudex litera, quæ non est nata explere officium iudicis, nec per se solam sufficit decidere lites con-

Quomodo Trinitatẽ Sabelliani ponant.

Ioan: 10.

Ioan: 14.

Quis Iudex. 8. Huiusmodi Iudex dicitur, & declaratur in Propositione tertiâ, Ecclesia: per Summum Pontificem Vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, vel per Concilium legitimum, ab eodem scilicet Summo Pontifice, velut Capite Ecclesiæ, approbatum, controuersa decidens.

Vnde infallibilis. 9. Prædictus Controuersiarum Iudex vocatur infallibilis, non ex humanâ aliquâ sapientiâ, vel quâuis excellentiâ: sed ex certâ perpetuâq; , iuxta Christi promissum, Spiritus Sancti assistentiâ, & directione. Dicitur idem determinans, non ex proprio arbitratu, sed iuxta normam ipsius Verbi Dei scripti, vel traditi.

Quomodo certũ de fide, quod Põtifex non possit errare? 10. Etsi verò nonnullis Doctoribus Catholicis, non sit certum de Fide, quòd Pontifex, absq; Generali Cõcilio, non possit errare; consequenter contrarium asserentes, putant non incurrere hæresim: censent tamen huiusmodi proximos esse hæresi, & erroneæ omninò opinionis. At Summum Pontificem, simul cum Cõcilio, aliquid determinantem, omninò non posse errare, certum est de fide apud omnes Catholicos. Eâq; de causâ Propositio illa disiunctiuè loquitur, de Summo Pontifice, vel de Concilio ab illo approbato; ac per hoc vtroq; simul concurrente.

Bell: de Rom: Põt: l. 4. c. 2.

Aduersarijs sola Scriptura Iudex. 11. Porrò Aduersarij Iudicem Controuersiarum non agnoscunt, nisi solam Scripturam Sacram, ad quam solam & vnicam in omnibus difficultatibus sese reuocant, & à quâ solâ omnes Controuersias decidi volunt. At apud Catholicos Scriptura Sacra, etsi (vt dictum est) sit norma & Regula fidei,

la fidei, non tamen poteſt eſſe Iudex in Controuerſijs Fidei. Nam vltra dicta *n. 6.* Scriptura Sacra duo continet: Literã, & ſenſum. Secundum literam notum eſt, non poſſe Sacram Scripturam eſſe Iudicem: quandoquidem manifeſtâ experientiâ conſtat, duas contrarias hæreſes, vti literâ Scripturæ, ad oppoſitos errores ſuos confirmandos. Sic enim Sabelliani tollebant myſterium Trinitatis, quia ad literam illam ſpectabant, vbi Chriſtus ait: *Ego, & Pater, vnum ſumus.* Ex qua litera deducebant, Patrem & Filium, vnam eandemq; eſſe Perſonam, differre tantùm ſecundum diuerſa officia ſeu operationes. Ariani è contrà Filium dicebant, non modò in perſonâ, ſed etiã in naturâ differre à Patre, & illo inferiorẽ eſſe: quia ad literam illã ſpectabant, vbi Chriſtus dixerat: *Pater maior me eſt.* Nec poterant iudicio illius Scripturæ: *Ego, & Pater, vnum ſumus*, conuinci euidenter: illud enim *vnum ſumus*, ad vnitatem aliam quàm naturæ referebant: nec vllo alio claro & euidenti textu Scripturæ putabant ſe conuinci, quòd hoc loco, *vnum ſumus:* pro vnitate naturæ accipiendum foret. Illi è contrà, Sabelliani ſcilicet, ex eodem loco non modò identitatem naturæ, ſed etiam Perſonæ colligebant: nec conuinci ſe putabant euidenter iudicio vllius alterius Scripturæ, ſic de naturâ, quòd non de perſonâ, locum eſſe intelligendum. Quæcunq; enim in contrarium afferebantur, ad diuerſa munia, vel operationes eiuſdem Perſonæ, non ad diuerſas referebant Perſonas: ſicque omnia Scripturæ loca eludebant. Non igitur poteſt eſſe Iudex litera, quæ non eſt nata explere officium iudicis, nec per ſe ſolam ſufficit decidere lites controuer-

Cur non Catholicis.

Quomodo Trinitatẽ Sabelliani ponant.

Ioan: 10.

Ioan: 14.

trouersas, sed potest à partibus trahi, in oppositos quoq; errores. Hinc *2.Cor:3.* dicitur: *Litera occidit.* Hinc & Tertull: *L. de Præscript: c. 39.* *Nec pericliter,* inquit, *dicere, ipsas quoq; Scripturas, sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt Hæreticis materias subministrarent; cùm legam oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt.* Hoc idem S. Basilius *L. de verâ Virginit:* & S. Augustinus *Tract: 18. in Ioan:* asserunt. Imò nec ipse Lutherus diffitetur, qui in Præfat: Historiæ, quæ contigit in Stasfort A. 1536. Scripturam vocat, *Librum Hæreticorum.* Reuera namq;, vt hactenus visum est, nulla Hæresis fuit in Ecclesiâ Dei, quæ suos errores non niteretur fundare in Scripturis, & deducere ex Scripturis, & confirmare Scripturis. Cuius optimam alicubi reddit rationem Vincentius Lerinens: asserens ideo Hæreticos Scripturas quàm maximè prætendere, & proclamare, quia, inquit, *probè nôrunt, fætores suos, nulli placituros, si nudi & simplices exhalentur: idcirco eos cælestis eloquij, velut quodam aromate, aspergunt.* Sic itaq; Scriptura Sacra non potest esse Iudex Controuersiarum secundum literam, ex quâ literâ potiùs occasionem aliqui arripiunt, excitandi diuersas Hæreses, & doctrinas valde controuersas.

Litera occidit.

Hæreses ex illa occasionem sumunt.

Cur Hæretici Scripturã sacram prætexant.

Neq; secundum sensum potest esse Iudex. Hic enim ita nobis plerumq; difficilis & ambiguus est, vt nulla ex eo sequatur determinatio inter Partes litigantes: prout etiam experientiâ notum est. Licet enim quandoq; sit, & à SS. Patribus dicatur, sensus alicuius Scripturæ planissimus & facillimus secundum se: ille tamẽ plerumq; per aliquos, multis inuoluitur difficultatibus, multisq; Aduersariorum impetitur

Sẽsus Scripturæ quoad nos, plerumq; ambiguus.

petitur

petitur arietibus: vt meritò S. Augustinus *L. de vtil: credendi*, dicat: ***An ista Scripturæ legis planissima sunt, in quas isti, quasi vulgo expositas, impetum faciunt?*** nimirũ plerũq; quod in se, & benè dispositis est planissimum, vitio contentiosorum redditur obscurum. Quid antè clariùs fuit illis verbis: *Hoc est Corpus meum.* Et tamen post inuenti sunt, qui dicerent ly *Est*, non habere sensum quòd sit, sed quòd significet: idq; colligebant ex alijs Scripturis, vbi *Est* ponitur pro *significat:* cùmq; aliæ Scripturæ allegantur, in quibus *Est* ponitur pro *Est*, non pro *significat*; nulla tamen est scriptura, quæ pro hîc, & nũc, in illo loco, *Hoc est Corpus meum:* ly *Est*, iudicet & determinet, sumendũ esse pro *Est*, non pro *significat:* vel pro *significat*, & non pro *Est.* Et sic de plurimis alijs.

Nec valet si dicat, Scripturam esse difficilem, quoad Sensum, sed non in his quæ sunt necessaria ad salutem. Contra hoc enim est. Nam & illa ipsa quæ maximè sunt necessaria ad salutem æternam, sicut mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, ex Scripturis ad diuersos sensus erroneos à diuersis sunt tracta, vt ex dictis constat. Præterea satis necessarium erat, & fundamẽtale fidei punctum illud, quod legebat Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopũ, *Act. 8.* nimirùm de Christi Passione: & tamen interrogatus à Philippo: ***Putasnè intelligis, quæ legis?*** respondit: ***Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*** Et ne quis diceret ipsum tunc nondum baptizatum, consequenter nec lumine fidei illustratum fuisse; S. Hieronymus ex ipso sumit argumentũ ad seipsum: *Ego*, inquit, ***nec Sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior. Et tantùs amator legis, Diuinaq; Scientiæ, cùm librum***

Scriptura Sacra etiam difficilis in necessarijs.

De Eunucho Candacis Reginæ.

Epist. 103

teneret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur.

Vbi ergo sententia, & decretum determinatum, non potest haberi ex Scripturâ Sacrâ, neq; secundum literam, neq; secundum sensum, difficilè est ipsam Scripturam pro Controuersiarum Iudice agnoscere.

Ad iudicium priuatum non debet reuocari sensus Scripturæ, aut cõtrouersia fidei.

12. Sentiunt item Catholici, quòd si præter Scripturam, & præter Ecclesiam, per Pastores suos determinãtem, quæritur alius Iudex Controuersiarum, non remanet alter, nisi quilibet pro suo arbitratu. Vbi enim Ecclesiæ iudicium infallibile non admittitur, nec ex Scripturâ ipsâ habetur, aut haberi potest, iuxta probata: & tamen iudicatur, ita & non aliter sentiendum esse, recurrendum tandem erit necessariò ad priuatum cuiusq; iudicium, cui & Pastorum iudicium, & sensus ipse Scripturæ subijciatur.

Etiã quà conforme præsumitur Scripturæ.

Nec valet si dicas, admittẽdũ Iudiciũ Ecclesiæ, siue Pastorum, siue etiam priuatum; sed quâ conforme Scripturæ Sacræ. Contra hoc enim est primò: quia tunc iam Scripturam, non pro Iudice, sed pro Regulâ & normâ accipis, iuxta quam nimirum Ecclesia, siue Pastores, siue quilibet priuatus, debeant suum iudicium formare, seu cui debeant suum iudicium conformare: cuius contrarium contendunt Aduersarij, qui Scripturam Sacram non solùm normam, siue Regulam, sed etiam Iudicem Controuersiarum ponunt. Secundò. Quis iudicabit, quòd Ecclesia, siue Pastores, de tali loco Scripturæ ferant iudicium cõforme Scripturæ? si dicas ipsam Scripturam; contrà est: quia iam probatum est ipsam non posse esse iudicem: fit item circulus, ac

lus, ac petitio primi principij: in eadem quippe difficultate remanemus, vel in eandem rursum reincidimus. Iterum enim videndum est, vnde constat hunc Scripturæ esse sensum, vt secundum hunc, & non alium, censeatur conforme Pastorum, vel Ecclesiæ, vel alicuius priuati iudicium, ipsi Sacræ Scripturæ: cùmque alij alium contendant sensum, aliaq; loca Scripturæ ad eum comprobandum allegent, cur potiùs huic, quàm alteri sensui adhærendum?

Dices, Fides infusa eò me inclinat. Sed contrà: quia alij quoq; fidem sibi infusam in baptismo præsumunt, & eodem modo Spiritum Dei habere se arbitrantur, & tamen aliò inclinantur.

Non remanet igitur aliud, quò vltimatè resoluatur res, quare nimirum hunc potiùs sensum, quàm alium amplectaris, si absolutum Ecclesiæ iudicium præscindis; nisi iudicium priuatum: quia tibi nimirum hoc potiùs, quàm illud arridet. Ideoq; Lutherus clarè, & consequenter ad suum dogma *Lib: de Capt: Babyl:* ait: *De doctrina cognoscere, pertinet ad omnes & singulos Christianos.* Et ad hoc non solùm ius illos habere asserit, sed etiam præcepto dicit vrgeri: vt hæc sola authoritas (postmodùm adiungit) *satis esse queat aduersus omnium Pontificum, Patrum, omnium Conciliorum sententias, &c.* *Lutherus vult singulos de doctrina fidei cognoscere.*

13. Cæterùm ad huiusmodi Iudicem, id est, seipsum, reuocare Controuersias Fidei, nullâ ratione iudicant expedire Catholici, ob grauissima inconuenientia & absurda, quæ indissolubili nexu consequentiarum deducit R. P. Valerianus Magnus Sacri Ord: Capucinorum, Vir summæ *R. P. Valeriani Magni, iudicium de Acatholicorũ Regulâ.*

eruditionis, ac de Ecclesiâ optimè meritus, in suo Iudicio de Acatholicorũ Regulâ. Quod opus eius insigne, quantũ scire possũ, à sex diuersis aduersarijs, omnibus possibilibus de suo armamẽtario validissimis Machinis est impugnatũ; hactenus tamen non expugnatum: singulorum siquidẽ impetus, Author singularibus responsis fregit, vel inanes ostendit.

Sentẽtia Diuinarũ Scripturarum ab aliquibus ad suam trahitur, non è contrà.

Suspectum quoq; fuit semper Scripturas Sacras relicto sensu Ecclesiæ, iuxta suum sensum accipere & interpretari: sic enim plerumq; contingit, quod ait S. Augustinus, L. 1. de Genesi, ad liter. c. 18. *Non pro sententia Diuinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicamus, vt eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, cùm potiùs eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Contingit & illud quod ait S. Hieronymus in 1. Galat: *Interpretatione peruersâ de Euangelio Christi, hominis fit Euangelium; aut quod peius est, Diaboli.* Hinc idem S. Hieronymus Epist: ad Domn: & Rogat: *Fateor,* inquit, *mi Domnion, & Rogatione Charissimi, nunquam me in Diuinis voluminibus proprijs viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam: sed ea etiam de quibus me scire arbitrabar, interrogare me solitum: quantò magis de ijs de quibus anceps eram.* Et Epist: 103. *Terentianum Maurum sine Magistro attingere non auderes. Innumerabiles Authores requiruntur, vt quilibet Poëta possit intelligi: & tu in eorum Librorum, qui Sancti sunt, lectionem irrues sine duce, & de his sine Præceptore feres sententiam?* Sic ipsi quoq; doctissimi SS. Patres primorum sæculorum, non præsumebant Sacras Scripturas ad suum reuocare sensum, etiam quæ faciliores sibi videbantur.

Alia artes requirunt ducẽ: multò magis scriptura.

14. Insuper apertæ hæresi hâc ratione via panditur, si vnicui-

vnicuiq; iudicandi de ſenſu Scripturæ,& diſcutiendi ſenſum Eccleſiæ, an ſit conformis eidem Scripturæ? relinquitur poteſtas. Hæreſis enim duplicem poteſt habere Etymologiam; vel Latinam, vel Græcam: Latinam Etymologiã habet ab hærendo: idq; rurſum dupliciter, vel ob hæſitationem & fluctuationem in dogmatibus, vel ob pertinacem adhæſionem: ita, vt ex parte intellectus nulla ſit firmitas; cùm non innitatur firmis fundamentis: ex parte verò voluntatis ſit obfirmatio, ex pertinaci æmulatione, vel aliunde proueniens. Græcam verò Etymologiam habet ab electione, ſecundum Tertullianum, *L. 6. de Præſcript.* Et S. Hieronymum, in *Cap: 5. Galat.* in quantum nimirum aliquis eligit ſibi quod credat, *proprio* (vt ait S. Paulus, Tit:3.) *iudicio condemnatus*: cùm tamen Chriſtiana fides non per electionem, ſed per Diuinam reuelationem tenenda ſit. Notandus quoq; S. Thomas, *22. quæſt: 11. a. 1.* vbi ſic electionem hæreſis deſcribit: *A rectitudine,* inquit, *Fidei Chriſtianæ, dupliciter quis poteſt deuiare: vno modo, quia ipſe Chriſto non vult aſſentire; & hic habet quaſi malam voluntatem circa ipſum finem. Et hoc pertinet ad ſpeciem infidelitatis Paganorum, & Iudæorum. Alio modo per hoc, quòd intendit quidem Chriſto aſſentire, ſed deficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat: quia non eligit ea, quæ ſunt à Chriſto tradita: ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit.*

Hæreſis, Etymologia duplex.

Hæreſis quomodo electio.

Vtroq; modo ergo incurrit hæreſim, qui excluſâ infallibilitate iudicij Eccleſiæ, ad ſuum reuocat iudicium ſenſa Scripturæ, & ipſa decreta Eccleſiæ. Primo quidem modo. Nam quæro ab Aduerſario, an ſuppoſitis omnibus, quæ in hunc fi-

Ad proprium iudicium reuocare res fidei, vel nimia

Superbia, vel incertitudo.

hunc finem requiruntur per ipsos Aduersarios V. C. oratione, & Spiritus S. imploratione, quò illuminet mentem, & de Veritate instruat; diligentiâ quoque sedulâ in scrutanda Scriptura, & alijs: an inquam, præmissis his omnibus, assecutus sis infallibilem Veritatem, cui non possit subesse falsum? Si dicas quòd sic? hæc videtur intolerabilis, & planè hæretica superbia,& præsumptio, vt quòd tot Patres, tot grauissima Concilia, tot viri doctissimi & Sanctissimi, tota deniq; Ecclesia non est assecuta, præmissis etiam ijs, quæ tu dicis te præmisisse, te solum arbitreris assecutum; nulliq; alteri eam infallibilitatem iudicij, nisi tibi ipsi arroges. Quid si alius dicat quoq; se postulâsse à Deo lumen, & diligenter Scripturas reuoluisse: & tamen contrarium sentiat; vt contingit plerumq; inter Caluinistas, & Lutheranos: cur potiùs Caluinista dicatur se infallibiliter assecutum Veritatem, quàm Lutheranus? vel è contrà: præsertim cùm dicant Caluinistæ (vt infrà videbitur) quòd non omnes qui Spiritum Dei iactant, Spiritum Dei, siue testimonium illius habent. Si verò dicas te non habere infallibilitatem de hoc sensu Scripturæ, quē assecutus es præmissis illis diligentijs: ergo hæreticus es, & fluctuas; esto ob pertinacem voluntatem videaris firmus tuis dogmatibus adhærere. neq; enim fide Diuinâ,quæ est immobilis,ea quæ tenes, credis, sed arbitrio iudicij proprij: quod cùm non reuelatione Diuinâ innitatur, sed tuâ humanâ persuasione, (esto prætensâ desuper illuminatione, quam etiam contrarium sentientes, æquè tecum prætendunt) non potest tuum intellectum fixum & immobilem, ac ab omni formidine

fallibi-

fallibilitatis immunem constituere. Sic hæresis secundùm primam suam Etymologiam Latinam incurritur, vbi ab Ecclesiæ iudicio, ad proprium & priuatũ iudiciũ receditur.

Secundo modo quoq; , id est, secundùm alteram Etymologiam Græcam incurritur, in eâdẽ hypothesi, hæresis, in quantùm, scilicet, hoc quod credis, non nisi ex electione propriâ credis. Cùm enim, V. G. de hoc Scripturæ loco, *Hoc est Corpus meum:* tam variæ sint sententiæ, si tu huic adhæreas, quæ dicit ly *Est*, idem esse quod *significat:* quæro, cur huic potiùs, quàm alteri, quæ dicit ly *Est*, accipi pro *Est*, in vsu tamen ipso: vel illi quæ dicit ly *Est*, accipi pro *Est*, non solùm in vsu, sed etiam extra vsum? *Quid est per electione credere*

Dices, ex Scripturis colligo ly *Est*, accipi quandoq; pro *significat:* aliunde quoq; habeo Scripturam apertam, Christum, ex quo ascendit in cælum, sedere à dextris Patris, vsq; ad diem iudicij extremi. &c.

Quid si contra hoc opponantur tibi multò plura loca Scripturæ, in quibus ly *Est*, accipitur pro *Est*, non pro *significat*? Et ille locus Scripturæ, vbi Christus dicitur sedere à dextris Patris, explicetur; ita illic sedere Christũ visibiliter, vt tamẽ sit in Eucharistia non visibiliter, sed Sacramentaliter; nec deserendo sedem cælestem, sed per omnipotentiã Dei in pluribus locis manendo: sicut etiam cùm S. Paulo apparuit, *Act:9.* & cùm S. Petro dixit; *Vado Romam iterùm crucifigi*; non tamen tunc quoq; cælum deseruit. Hâc itaq;, inquam, solutione habitâ, quam ex nullo claro & insolubili textu Scripturæ possis vllâ ratione infringere, quæro, cur potiùs tuæ, præ omnibus alijs, adhæreas sententiæ? Cur lo-

ca Scripturæ vltrò citròq; adducta, in tuam potiùs quàm alteram sententiam trahas? Ad ipsam certè Scripturam non potes recurrere: nulla enim est, quę irrefragabiliter stet pro te, & tuis sensis ac explicationibus, ita vt non possit aliter exponi, aut non possit alia opponi: nulla est quæ determinet, hîc, & nunc, istum locum Scripturæ, quem pro te allegas, hunc, & non alium sensum habere. Nec ad iudiciũ Ecclesiæ potes recurrere, cui vt sic, & secundùm se, infallibilitatem denegas; nisi frustra iterùm, vt Scripturæ conformem, acceptes; sicq; rursum in idem, quod priùs, reincides: & tandem eam conformitatem sensus Ecclesiæ cum Scriptura, tuo censebis arbitrio. Non remanet igitur aliud, nisi quod per propriam electionem huic potiùs, quàm alteri sensui Scripturæ subscribas: quia videlicet præ omnibus alijs hunc sensum, tuo arbitrio elegisti. Sic ex vtroq; capite hæresim incurris.

Fides non est ex electione, sed ex reuelatione.

Hunc autem scopulum euadunt Catholici: cùm veritatibus fidei assentiuntur ex iudicio Ecclesiæ, quod censent infallibile, ob promissam illi à Christo, Spiritus S. assistentiam; ideoq; & infallibilitatem habent in suis dogmatibus, fundatam in reuelatione Diuinâ, per quam & articuli fidei, & legitimus Scripturæ sensus, illis, ministerio Ecclesiæ, innotescit, nec ex electione propria credunt, quod credendum præeligunt: sed ex authoritate Dei per Ecclesiam, siue Prælatos eius, suas veritates reuelantis.

Depura-

Depuratio ab Imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

1. IMputatur Catholicis, quòd Sacrã Scripturam contemptui habentes, in cæno & puluere sepeliant, & doctrinam Christianam pænè integram deleant. Et quòd Sacrosanctas Scripturas missas fieri oportere, & authoritati hominum acquiescere, doceant. Hæc tam aperta calumnia est, vt mirum sit, quomodo fingi potuerit ab Aduersarijs. Fuit tamen conficta, quò indoctam & seductam plebem, eo prætextu, ab Ecclesiâ Catholicâ abhorrere facerent. Cùm tamẽ Orbi sit notum: quantâ reuerentiâ apud nos habeatur Sacra Scriptura: quàm frequens vsus illius, tam in doctrinâ fidei, quàm in doctrinâ morum; quàm indefessum studium, tot Commentarijs & lucubrationibus nouis, in dies, celeberrimorum Doctorum contestatum. Imò & ipsi Aduersarij palam experiuntur, quando nobiscum disputant, quàm reuerenter loca Scripturæ ab illis allegata in eo sensu, quo par est, admittimus: & qualiter eâdem Scripturâ Sacrâ, errores illorum redarguimus, & confutamus. Etsi antiquissimâ obseruatione, cuius etiam meminit Tertullianus, *de Præscript: c. 19.* Hæreticos efficaciùs aliunde, quàm ex Scripturis conueniendos censeamus; eò quòd ipsi facilè Scripturas ad suos sensus, & errores, plerumque trahant, & torqueant: aliquas etiam non admittant.

Luth: L. de Cõcil: & Eccl. Caluin: init: Lib: cõtra Anabapt.

In quâ æstimatione apud Catholicos Scriptura Sacra.

2. Imputatur Catholicis, quòd Traditiones vanas humanas, & à Christo reiectas, obseruent, & Scripturis præferant.

Calu: l. 4 Inst. c. 9. §. 14.

Quales Traditiones admittunt Catholici.

ferant. Cùm tamen Catholici reijciant falsas & Pharisaicas Traditiones: nec nisi legitimas, & Sanctas Traditiones, ab Ecclesiâ pro talibus habitas, & in ipsis Scripturis generaliter commendatas, reuerenter, & ex æquo cum Verbo Dei scripto, non autem supra Verbum Dei scriptum, admittant & acceptent. Quod si aliqui Doctores Catholici videantur innuere Scripturam Sacram dependere à Traditionibus, vel ab Ecclesiâ, vel à Pontifice, vel à Concilio: nequaquam intelligunt Scripturam Sacram, quoad authoritatem & infallibilitatem secundùm se, ab his omnibus pendere, vel etiam ab illis sumere: sed tantùm quoad explicationem, vel sensum ipsius Scripturæ, & quoad determinationē, quænam sint Scripturæ Canonicæ? idq; quoad nos duntaxat: vt scilicet nobis innotescat authoritas, & sensus Scripturę Sacræ; non autem quòd conferatur authoritas & sensus Scripturæ Sacræ secundum se, per Ecclesiam, Pontificē, aut Conciliū.

Nulla potestas in Ecclesiâ, nouos articulos fidei condendi.

3. Imputatur Catholicis, quòd Ecclesiæ, & Summo Pontifici tribuant potestatem, noua dogmata, siue articulos fidei, sine Verbo Dei, imò contra Verbum Dei, pro arbitrio condere. Cùm è contrà negent Catholici, vllam potestatem esse in Ecclesiâ nouos articulos fidei condendi, sed asserant dūtaxat, esse potestatem declarandi dogmata, siue articulos fidei: vt, quæ in se quidem semper, & immediatè, licet aliquando non quoad nos, sunt dogmata fidei, fiant etiam quoad nos talia, & pro talibus agnoscantur, & acceptentur à nobis. Neq; id in Ecclesiâ fit pro arbitrio Pontificis, aut Concilij, sine Verbo Dei, multominùs contra Verbum Dei, sed potiùs ex ipso Verbo Dei scripto, vel tradito;

(esto

(esto non semper per euidentem, quoad nos, consequentiam) summo item studio, & inuestigatione veritatis, ac imprimis Spiritu S. implorato, & iuxta infallibile promissum, assistente. Quodq; semel legitimè definitur, non est ad libitum Concilij, aut Summi Pontificis, reuocare, sed cum summâ reuerentiâ, factæ semel decisioni, opus est omnes Orthodoxos, ipsum etiam Pontificem, & totum Concilium, sese submittere.

4. Imputatur Catholicis, quòd Scripturas Sacras fastigio Romanæ Hierarchiæ subijciant: ac si æterna inuiolabilisq; Dei veritas, hominum arbitrio niteretur. Et quòd in Papâ sit potestas abolere Scripturas. Et quòd ipsis Catholicis, quidquid Papa, vel Ecclesia, contra, vel extra Verbum Dei statuunt, pro oraculo Dei habendum sit. Falsitas huius imputationis ex primâ Catholicorum Propositione constat, quâ agnoscunt Scripturam Sacram pro Regulâ credendi, & agendi. Et ipsum fastigium Romanæ Hierarchiæ, Sacris potiùs subijciunt Scripturis, ijsq; fulciunt. Et humanum arbitrium veritati Scripturarum, non Scripturas arbitrio hominum submittunt. Non item Papæ, vel Concilio potestatem abolendi veras Scripturas Sacras vnquam tribuunt: sed potiùs falsas secernendi à veris, ex assistentiâ speciali Spiritus S. edocentis, iuxta promissum Christi, Ecclesiam, & Prælatos eius, omnem veritatem. Nec vnquam Papa ex Cathedrâ, aut Ecclesia ipsa statuit quidquam contra, vel extra Verbum Dei, quod pro oraculo à Catholicis habeatur. Et quidem hactenus nil tale ab Aduersarijs obijcitur,

Scriptura Sacra præfertur, non postponitur Ecclesiæ, apud Catholicos.

citur, quod non, maiori saltem probabilitate, sit solutum, quàm ab ipsis probatum.

5. Imputatur Catholicis, quasi Scripturam Sacram in alienum sensum detorqueant: & cum magno triumpho allegantur quædam loca Scripturæ, quæ à Catholicis Interpretibus sic explicantur, vt eorum explanatio vim potiùs Sacræ literæ videatur inferre, quàm illi inhærere. Sed aduertendum erat Aduersarijs, verba Scripturæ Sacræ esse eloquia Dei: qui sicut multa simul intelligit, sic vno verbo plura exprimit: & dũ semel loquitur, duo Sapiens Propheta audit, idq; citra omne æquiuocationis, aut deceptionis periculum: quod fusiùs nostri Theologi *in 1. p. S. Thomæ, q. 1. a. 10.* deducunt. Contingit ergo aliquem locum Scripturæ duplicem habere sensum, nõ modo literalem & moralem, sed etiam duplicem literalem: & vnum quidem primariũ, alterum secundarium. Et si primum sensum spectes, alter videbitur extortus, & non inhærens literæ: si spectes alterũ sensum, optimè cohærebit. Sit in exemplo illud, quo *Exodi 12.* de ritu Agnum Paschalem manducandi, dicitur: *Nec os illius confringetis:* Quis contextum literæ attendendo, non putaret alieno sensu applicandum fore Christo in cruce pendenti, cuius crura, sicut duobus latronibus, non essent confringenda? Et nihilominùs S. Ioannes, *cap: 19.* trahit illam Scripturam ad hunc sensum, *vt Scriptura,* inquit, *impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Quis similiter contextum Scripturæ, *Deut: 25.* & literam ipsius cõsiderans, verba illa: *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas:* non peregrinum exi-

Vnde multiplex Scripturæ S. sensus.

num existimaret sensum hunc, quo intelligeretur Operario Euangelico ministranda esse temporalia. Et tamen Apostolus *1. Cor: 9.* eò locũ hunc Scripturæ adducit. Nec dissimilem habent difficultatem pleraq; loca à nostris Interpretibus, ipsius Scripturæ exemplo, pariter explicata: quæ tamen explicatio ab Aduersarijs exagitatur.

Aduertendum item plerosq; ex nostris Interpretibus, in Commentarijs Scripturæ Sacræ, non semper ad Controuersias cum Hæreticis spectare, sed multoties ad morum disciplinam & eruditionem: non semper instituere Disputatores, sed quandoq; Concionatores: & plerumq; non tam exegesim, quàm parænesim attendere. Consequenter non semper scrupulosè & rigorosè insistere literæ, & proprietati eius, sed liberaliùs quãdoq;, ad informandos mores, stylum suum laxare: sæpiùs quoq; per solam, vt vocant, Accommodationem, vti Sacrâ Scripturâ; qui quidem vsus ad Cõciones, & Moralia, non autem ad Disputationes & Controuersias egregiè conducit. Tandem vnum, vel alterum particularem Interpretem, sensum aliquem Scripturæ Sacræ corrumpere, puritati doctrinæ Catholicæ non obstat: quæ in materia fidei & morum ad salutem necessariorum, nullum alium generaliter admittit sensum, nisi ab Ecclesia, & SS. Patribus receptum, & approbatum: quosuis alios contrarios reijcit, & damnat.

6. Imputatur ad odium Catholicæ Religionis: quòd deleto Christi Euangelio, tota Catholicorum doctrina, ex horrendis Sacrilegijs & blasphemijs sit consuta: cuius *arcana The-* *Caluinus L. 4. Inst. c. 7. § 17*

cana Theologia Caput sit ; nullum Deum esse : quæcunq; de Christo scripta sunt, esse mendacia & imposturas : doctrinam de futurâ vitâ, & vltimâ resurrectione, meras esse fabulas, &c. Tam crassas calumnias, piget refutare: & satius est contemnere. Nulli enim non constat prudenti & cordato viro, quàm aliena sint hæc omnia à doctrinâ nostrâ Catholicâ, & quomodo nonnisi per summam licentiam, ne dicam impudentiam, illi imputentur.

Catholici Sacræ Scripturæ lectionem non prohibent.

7. Imputatur Catholicis, quòd lectionem Bibliorum, siue Sacræ Scripturæ, prohibeant. Falsitas huius Imputationis, patet ex Regula in ordine quartá, à principio Indicis Librorum prohibitorum ; vbi sic habetur : *Cùm comperimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm vtilitatis oriri, hâc in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, vt cum Consilio Parochi, vel Confessarij, Bibliorum à Catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari linguâ, eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei atq; pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in Scriptis habeant.* Ex quibus manifestè patet, non prohiberi absolutè lectionem Bibliorum, sed lectionem Bibliorum in vulgari linguâ : neq; hanc etiam omninò prohiberi, sed potiùs concedi ex Consilio Parochi, vel Confessarij, & iudicio Episcopi, his, qui ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei ac pietatis augmentum capere posint.

Illud ergò duntaxat cauetur, quod suis olim temporibus S.

bus S. Hieronymus improbabat *Epistolâ 103.* cùm diceret: *Quod medicorum est, promittunt Medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctiq, poëmata simul. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, &c.* Quòd si aliqui Sanctorum valdè commendant lectionem Sacræ Scripturæ, etiam indifferenter laicis omnibus: vt S. Chrysost: *Hom: 2. in Matth*: & *Hom: 9. in Coloss*: & sæpè aliâs; id intelligendum est, extra omne periculum, quod fortasse tunc non erat; vel antequam rationabiliter inhibitum fuerat; vel saltem de his omnibus qui ad legenda Biblia cum fructu apti erant; vel deniq; de aliquibus specialibus libris Bibliorum, ex quorum lectione minus damnum imperitioribus sequi poterat: vt ibidem insinuat S. Chrysostomus, specialiter noui Testamenti aliquos libros commendans. Quàm verò, vniuersaliter, & sine discrimine, non conducat, his præsertim temporibus, omnibus in vernaculâ linguâ permittere Sacræ Scripturæ lectionem: nec expediat eâdem linguâ vernaculâ, vti officijs Diuinis in Ecclesiâ, videatur Bellarminus *L. 2. de Verbo Dei, c. 15. & 16.* Et Grauina *L. 4. Præscr: Cath: de Sacr: Bibl: vers: Controu: 11. Gener.*

8. Imputatur Catholicis, quasi non minori cum iniuriâ, quam blasphemiâ, Scripturam Sacram vocent & faciant insufficientem, in his quæ sunt necessaria ad credendum & agendum, in ordine ad consequendam beatitudinē æternam: Ideoq; ad Traditiones recurrant, & ad alium Iu-

E dicem,

dicem, extra ipsam Sacram Scripturam: quam tamen sufficientissimam esse indicat S. Ioannes Euangelista, cùm ait: *Multa quidem & alia signa fecit* IESVS *in conspectu Discipulorũ suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia* IESVS *est* CHRISTVS *Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Supra quem locum SS. Patres, præsertim Augustinus, & Cyrillus, notant, scripta esse, quæ sufficiebant. Aliunde verò constat ex eâdem scripturâ, prohiberi aliquid superaddi ipsi scripturæ. Deut: 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Galat: 1. *Si quis euangelizauerit vobis, præter id quod accepistis, anathema sit.* Apoc: 22. *Contestor omni audienti verba Prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus supra illum plagas scriptas in Libro isto.*

Ioan: 20.

Scripturam Sacram tenent Catholici esse sufficientissimã.

Sed contrà est, quòd Catholici sufficientiæ Sacræ Scripturæ nil derogant: asserunt enim illam in suo ordine sufficientissimam esse: sufficienter enim instituit, & perficit hominem, quia multa expressè continet; & quæ non continet, ostendit, vnde sint petenda, nimirum ex Traditionibus, vel ab Ecclesiâ; iuxta illud S. Augustini contra Crescon: L. 1. c. 33. *Quamuis certum de Scripturis non proferatur exemplum, tamen earundem Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quòd vniuersæ placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.* Ille porrò locus ex Euangelio S. Ioannis, non facit ad propositum. Ibi enim nihil aliud voluit indicare Euangelista, quàm quòd miracula illa quæ recensuit, omissis alijs quæ facta fuerant, sufficerent ad persuadendum mundo, Christum esse Filium Dei: non autem

quòd

quòd illa quæ ipse scripsit, præsertim in illo Capite, sufficerent ad instruendũ fideles in omnibus: alioquin quæ alij scripserunt, & ipse alibi, superflua fuissent, & minùs necessaria.

Solũtur obiectiones aduersariorum.

Ad illa verò alia loca scripturæ, quibus indicatur nihil scripturæ, tanquam sufficientissimæ, addendum esse; facilè respondetur. Ad primũ enim dicendũ, quòd constat ex contextu literæ, sermonẽ esse de præceptis cæremonialib⁹, & iudicialibus, quæ voluit Deus exactè, iuxta suũ præscriptũ, seruari; absq; eo, quòd, aliquid de proprio illis addendo, vel detruncando, variarentur. Ad secundum dicendum, quòd ibi de speciali puncto fidei loquatur Apostolus: nimirùm, non per legem cæremonialem, sed per fidem in Christum, iustificari hominem: Et tunc subiungit: *Si quis præter id. &c.* alioquin excluderentur etiam omnia alia, quę alibi ipsemet tradidit. Ad tertium dicendum similiter, loqui S. Ioannẽ de suo libro Apocalypsis, ne illum quispiam aliquibus additamentis corrumperet; alioquin si excludit, V. G. per illa verba Traditiones, excludet pariter & quoscumq; alios libros Canonicos: tam enim alij libri Canonici, quàm Traditiones, sunt extra Prophetiam libri illius. Et nihilominùs Aduersarij non solùm alios libros Canonicos, vltra Apocalypsim, admittunt; verùm etiam Symbolum Apostolorũ, quatuor prima Concilia, &c. Cæterùm ad omnia huiusmodi loca generaliter respondendo, dicendum, per Traditiones, & Decreta Ecclesiæ, nil addi Scripturæ Sacræ: quandoquidem ipsa Scriptura Sacra referat nos ad Traditiones, & ad Ecclesiam; vt infrà Actione Secundâ videbitur.

PRO PARTE CALVINISTARVM.

Quid sibi Caluini-sta imputari queruntur.

POrrò ipsi etiam Caluinistæ, *Cap: 1. n. 7.* imputari sibi innuunt, quòd spiritum priuatum cuiusq;, Iudicem Scripturæ, aut Regulam Fidei statuant. Hoc tamen eo fundamento illis imputant Catholici, quòd ipsi nullius iudicium infallibile in rebus Fidei agnoscant; sed tantùm ad solam Scripturam in Controuersijs recurrendum volunt: cuius nihilominùs sensum, hunc, & non aliumesse, sic suo iudicio & prudentiâ, afflatu & illustratione Spiritus S. (vt putant) attingunt, vt nulli alij cedere se oportere arbitrentur; eò quòd neminem habere infallibilitatem credant. Idq; plurimi ex illis, multis scripturæ locis conantur probare, vbi Scriptura Sacra vnumquéq; videtur ad seipsam remittere. Idē sæpiùs non obscurè Caluinus innuit. Sed de hoc suprà in Declar: vlt: fusiùs actum est, & ostensum, qualiter ab infallibili Ecclesiæ iudicio recedendo, incurratur in priuatum iudicium, sine firmo de rebus fidei assensu, sed semper cum formidine fallibilitatis.

In 18: c.6 & in c.7. Ioan.

Caluinus admittit in fide dubitationē.

Et quidem idem ipse Caluinus, non refugit eam Fidei conditionem, quæ incertitudinem & dubitationem admittat. Nam L.3. c. 2. §. 17. *Nos certè*, inquit, *dum fidem docemus esse debere certam & securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nullâ tangatur dubitatione; nec securitatem, quæ nullâ solicitudine impetatur.* Quod paulò post exemplo Dauidis confirmat. Et §. 18. adiungit: *In fideli mente, certitudinem permixtam esse dubitatione.* Amplius, & peiùs dicit, vbi suprà: *In cunctis semper mixtam esse fidei incredulitatem.* An

tem. An verò huic doctrinæ Caluini, subscribant moderni Caluinistæ? ignoro.

Nec valet, quòd ille innuat alibi, spiritum, & iudicium de scripturæ sensu, ab Ecclesiâ, eiusque Pastoribus diiudicandum, secundum easdem Scripturas, ceu vnicam Regulam. In idem enim redit difficultas, vt suprà ostensum est. Vnde enim constabit Caluinistæ, Ecclesiam, vel Prælatos, in tali v. g. casu, regulari infallibiliter scripturâ, & scripturam pro illorum, & non pro alio sensu stare? hoc ipsum quippè in quæstione vertitur: & proprio tandem cuiusq; iudicio submittitur; vt scrutando scripturas videat & examinet, num Ecclesia, suiq; Pastores, à Regulâ Scripturæ non deflectant? Quò itaq; purgent Caluinistæ hanc imputationem, infallibilitatem iudicij de sensu scripturæ, aliunde petant necesse est: alioquin totum finaliter tandem ad proprium & priuatum cuiusq; spiritum, imò iudicium resoluitur. Hoc candidè profitetur ipse Caluinus, *L. 1. c. 8. §. 13. Lat: edit.* & §. *12. Edit: Gall:* sic inquiens: *Tum verè demùm ad saluificam Dei cognitionem Scriptura satisfaciet, vbi interiori Spiritus S. persuasione fundata fuerit eius certitudo.* Si satis facit scriptura interiori Spiritus S. persuasione fundata, cur non generali Ecclesiæ, per eundem Spiritum S. illustratæ, authoritate propositâ? num certiùs assistit Spiritus S. priuato alicui, quàm toti Ecclesiæ? Videant sui Discipuli, an suo consentiant Magistro: qui suis insistens principijs, consequenter loquitur: illi verò quod in principijs virtualiter admittunt, explicitè postmodum admittere refugiunt.

Si priuatus spiritus ad cognitionē certā scriptura cōducit, cur non Spiritus totius Ecclesiæ?

Antitheses. §. 4.

EX dictis colligitur, quid circa hoc Caput Primum, de Verbo Dei, & Regulâ credendi, ac Iudice Controuersiarum, sit inter vtramq; Partem Catholicorum, & Caluinistarum controuersum.

Non enim in hoc consistit status Controuersiæ. An authoritas Scripturæ Sacræ sit admittenda, & pro Regulâ & normâ credendorum & agendorum habenda? Admittit enim hoc vtraq; Pars.

Nec in eo. An Traditiones vanæ, & non fundatæ in reuelatione Diuinâ, vel Scripturæ Sacræ contrariæ, sint reijciendæ? Reijciuntur enim ab vtrâq; Parte.

Nec in eo. An Pontifex, Concilium, Ecclesia posit pro arbitrio nouos articulos Fidei condere, Canonicas scripturas conficere, aut abolere, aliquid contra Scripturam Sacram tenendum præscribere? &c. Hæc enim omnia falsò Catholicis imputari ostensum est.

Porrò in his tota controuersia consistit, circa quæ Partes veraciter pugnant, & contradictoriè sibi aduersantur.

1. Catholici docent præter Verbum Dei scriptum, dari Verbum Dei traditum verè reuelatum, & vtrumq; esse vnicam & adæquatam Regulam & normam credendi, & agendi.

Calvinistæ verò docent. Præter Verbum Dei scriptũ, non dari Verbum Dei traditum verè reuelatum: sed solum Verbum Dei scriptum, & non aliud, esse vnicam & adæ-

quatam

quatam Regulam & normam credendi & agendi.

2. CATHOLICI docent, omnes illas Scripturas, quæ Canone Concilij Tridentini, & ante Carthag: tertij continentur, esse Verbum Dei verè reuelatum, & ad illam Regulam fidei & morum ex æquo efficax.

CALVINISTÆ docent, solas illas Scripturas quæ in V.T. Hebraico idiomate conscriptæ sunt, (quâ ratione excludunt plures libros, vt aliâs notum est) & in N. T. per Euangelistas, & Apostolos; pro Verbo Dei agnoscendas & admittendas esse.

3. CATHOLICI vulgatã Versionem pro authenticâ habent, non derogando fontibus, si ij puri reperiantur.

CALVINISTÆ vulgatam Versionem non habent pro authenticâ: Hebraicos, & Græcos textus præferunt.

4. CATHOLICI in Controuersijs Fidei supremum & infallibilem Iudicem, agnoscunt Summum Pontificem, vel Legitimum Concilium: Scripturam verò Sacram, & simul Traditiones, pro Regulâ & normâ, secundum quam iudicium ferri debeat.

CALVINISTÆ solam Scripturam Sacram, & Iudicem, & Regulam infallibilem agnoscunt: Summo Pontifici, & Legitimis Concilijs, nullam infallibilitatem tribuunt.

CAPVT

CAPVT II.

DE ECCLESIA.

Propositiones vtriusq; Partis. §. 1.

CATHOLICORVM.

1. Ecclesia nihil est aliud, quàm visibilis Cætus hominũ, eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione, colligatus; sub vno Capite inuisibili Christo, & visibili in terris eius Vicario, Romano Pontifice.

2. Regimen Ecclesiæ, non solùm respectu Christi, sed etiam respectu Summi Pontificis eius Vicarij, est Monarchium.

3. Vera Ecclesia non potest errare: ideòq; iudicium illius semper est infallibile; quod in rebus controuersis, vel per Summum Pontificem, vel per Concilium legitimum innotescit.

4. Veræ Ecclesiæ notæ sunt illæ quatuor: VNA, SANCTA, CATHOLICA, & APOSTOLICA: ad quas facilè reducuntur aliæ.

5. Ad Ecclesiam pertinent omnes illi, quicunq; in aliquo fidei articulo non errant pertinaciter. Extra Ecclesiam verò, & veram fidem sunt, qui vel in vno quouis articulo pertinaciter dissentiunt.

CALVI-

CALVINISTARVM.

1. ECclesia nihil est aliud, quàm Cætus fidelium sub vno Capite Christo, per eundem Spiritum gratiæ, ex potestate tenebrarum, ad regnum Dei, Verbo Euangelij euocatorum; & cum internâ eiusdem fidei, spei, & charitatis, tum externâ eorundem Sacramentorum, & totius Cultus Diuini, Sanctæq; disciplinæ communione sociatorum. *Cap: 7. n. 1.*

2. Regimen Vniuersalis Ecclesiæ, respectu soliùs Christi vnius Regis, est Monarchicũ, non verò respectu alicuius hominis, qui sit iure Diuino Caput & Monarcha totius Ecclesiæ. Vnde Regimen particularium Ecclesiarum externum, ex institutione Christi, potiùs est Aristocraticum: ita tamen vt Episcopis seu superintendentibus, vel inspectoribus, ordinis & regiminis, aliqua super reliquos Presbyteros prioritas, non sit neganda. *n. 9. & 10.*

3. Vniuersali toto orbe Ecclesiæ, nunquam accidit, aut accidere potest, vt à saluificâ fide, & cultu, tota deficiat. *n. 8.*

4. Ecclesiæ num veræ, vel falsæ sint, agnosci possunt, & debent, ex eiusdem saluificæ fidei, secundùm indubitatũ Dei verbum, professione, & Sacramentorum à Christo institutorum, integrâ administratione, nec non eiusdem Cultus à Deo mandati, & Sanctæ disciplinæ communione: Ad quas omnes aliæ notæ accidentales, quæ afferri possunt, reducendæ sunt, & ex eis æstimandæ. *n. 8.*

5. Ad veram Christi Ecclesiam pertinent, qui in fundamentalibus saltem articulis consentiunt, licet in alijs aliquos errores habeant. *n. 6.*

Declaratio Propositionum. §. 2.

Ecclesia, Corpus Mysticũ.

1. CVm Ecclesia Christi, iuxta Apostolum *Rom: 12. &* *1. Cor: 12.* sit Corpus quoddam Mysticum, illudq; viuum, quia Spiritu Dei vegetatum: hinc sicut in Corpore naturali viuo, est inuenire Corpus, & Animam; ita & in hoc Corpore Mystico viuo, est inuenire aliquid, quod se habet, vt corpus, & aliquid, quod se habet, vt anima. Per modum Animæ sunt in Ecclesiâ Dona gratiarum, Spiritus S. charismata, Virtutes internæ, Fides, Spes, Charitas, &c. Per modum Corporis sunt: Externa fidei doctrina, siue prædicatio, externa eiusdem fidei professio, externa Sacramentorum communicatio, externa Prælatorũ gubernatio, &c.

Qui pertinent ad Ecclesiã.

Rursum: sicut humani Corporis variæ sunt partes; quædam quæ viuunt & sentiunt; sicut sunt membra: quædam quæ viuunt sed non sentiunt; sicut vngues, & capilli: quædã quæ nec viuunt, nec sentiunt; sicut humores: Ita in Corpore Ecclesiæ, aliqui sunt qui viuunt & sentiunt; hi sunt iusti: Aliqui qui viuunt, sed non sentiunt; hi sunt peccatores, citra peccatum infidelitatis, in quibus imperfecta est vita, ex solâ fide, quâ Corpori Mystico Christi adhuc manent aliquo modo vniti; quæ fides licet sine charitate sit informis, est tamen supernaturalis, & aliquid vitæ (esto valde imperfectæ) habet, quam motus eiusdem fidei in occasione probat. Aliqui qui nec viuunt, nec sentiunt; hi sunt hy-

pocritæ,

pocritæ, qui ſcilicet occultè ſunt infideles, externè tamen profitentur fidem; vnde & apparentia potiùs, quàm vera membra Eccleſiæ vocantur. Reliqui omnes, qui aliquo horum modorum, non continentur in Eccleſiâ, ſcilicet, aut per internam, & externam confeſsionem fidei viuæ, vel informis; aut ſaltem (ſecũdum aliquos) per externam profeſſionem eiuſdem fidei, ſunt penitus extra Eccleſiam: ſicut infideles, non baptiſati, Hæretici, Schiſmatici; & inſuper Excommunicati, qui ob contumaciam, priuantur, poteſtate Eccleſiaſticâ, conſortio Spirituali fidelium, & excluduntur ab hoc Corpore myſtico. *Qui excluduntur ab Eccleſiâ.*

Porrò ſicut illæ diſtinctiones corporis naturalis, non conſtituunt plura corpora, ſed tantùm vnius eiuſdemque corporis plures ſunt partes: ita & diſtinctiones illæ Corporis Myſtici, i. e. Eccleſiæ, non arguunt plures diſtinctas Eccleſias, ſed tantùm plures partes diſtinctas, vnius eiuſdemque Eccleſiæ. *Eccleſia vnũ corpus.*

2. Ex dictis colligitur primò, non ſolos prædeſtinatos, aut iuſtos, pertinere ad Eccleſiam illam veram & vnicam Chriſti, ſed etiam peccatores; quòd expreſsè indicant illæ Parabolæ Chriſti, *Matth: 3.* de areâ, triticum, & paleã habente, vſq; ad diem Iudicij. Parabola item de Sagenâ, ex omni genere congregante bonos, & malos. *Matth: 13.* Parabola de Decem virginibus prudentibus, & fatuis. *Matth: 25.* Sed & S. Paulus dicit ſe ſcribere primam Epiſtolam ad Corinthios: *Eccleſiæ Dei:* Et tamen *cap: 5.* in hâc Eccleſiâ arguit maximum quendam peccatorem: *Auditur,* inquit, *Non ſolì prædeſtinati, & iuſti pertinẽt ad Eccleſiã.*

inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, &c. de quo etiam eijciendo per Excommunicationem insinuans: *Vt tollatur,* inquit, *de medio vestrûm. Auferte malum ex vobis ipsis. &c.* Indicat ergo quod mali erant in medio illius *Ecclesiæ Dei.* Hinc S. Augustinus, Tract:6. in Ioan: *Nos fatemur in Ecclesiâ Catholicâ & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.* & Tract: 45. *Secundum præscientiam & prædestinationem, quàm multæ oues foris? quàm multi lupi intus?*

Vniuersales Propositiones S. Scripturæ non semper vniuersaliter sumendæ. Nec obstat, quòd aliquando in Scriptura, vel apud SS. Patres, vocetur Ecclesia tota pulchra, & sine macula. Est enim frequens vsus scripturæ, attribuere aliquid toti, quod conuenit maiori, vel potiori parti. Sic Psalm: 13. dicitur: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum:* non quia omnes, sed quia plurimi erant mali; inter quos tamen non defuerant aliqui boni; & vel ipse Dauid, sanctus erat post suam pœnitentiam. Et *Philip: 2.* dicitur: *Omnes quæ sua sunt quærunt:* nõ quod omnes, sed quòd multi sua quærerẽt; cùm tamen non deerant quoque in illâ primitiuâ Ecclesiâ Sancti, qui quæ Christi sunt quærebant; saltem vel ipsi Apostoli. Ita & Ecclesia dicitur Sancta, ex potiori parte Sanctorum; qui sic in illâ solâ reperiuntur, vt extra illam nullatenus. Deinde dicitur etiam Ecclesia tota pulchra & Sancta: quia omnia in illa, à Christo instituta, sunt sancta, & ad sanctitatem conferunt, & sanctitatem spirant.

Ecclesia Christi visibilis. 3. Colligitur secundò, illam vnam Christi Ecclesiam esse Visibilem: in quantùm non solùm prædestinatos, se-

cundum

cundum interna dona, ſed etiam quoſcunq; externè fidem illibatam profitentes complectitur: & in quantùm exterinum cultum Deo vero exhibet, externis & ſenſibilibus vtitur Sacramentis, externâ Prælatorum gubernatione adminiſtratur, externa celebrat Concilia. &c.

Et certè, ſi inuiſibilis eſſet Chriſti Eccleſia, quomodo illud quod dicitur *Matth: 18.* impleretur: *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus?* Quis enim hoc Chriſti præſcriptum poſſet obſeruare, ſi non daretur illi Eccleſiam noſſe ſenſibiliter; cùm alioquin iuſtos & prædeſtinatos non detur nobis cognoſcere? Quomodo item infideles, qui vellent à ſuis erroribus cõuerti, ad illam Eccleſiam poſſent recurrere, ſi de illâ non cõſtaret, vbinam? & quænam eſſet? Hinc Chriſtus comparat Eccleſiam, *Matth: 5.* Ciuitati ſupra montem poſitæ: quæ proinde non poteſt abſcondi, vel latere: ita inquam latere, vt ſoli Deo ſit nota, ſicut prædeſtinati, illi ſoli ſunt noti. Alioquin latebat aliquando, vel tempore perſecutionis Antichriſti, latebit Eccleſia, à perſecutoribus ſe occultando; omnibus tamen ad ſe recurrere volentibus, cognita, vel cognoſcenda; non verò ad arcana occulta prædeſtinationis Diuinæ reuocata, vel reuocanda.

Hinc & S. Auguſtinus eandem Eccleſiæ Chriſti viſibilitatem indicans, *Tract: 1. in Epiſt: Ioan:* ait: *Nunquid digito oſtendimus Eccleſiam, Fratres mei? nonnè aperta eſt?* Et *Tract: 2. Quid amplius dicturus ſum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro poſitam, oculos claudunt?* Imò Lib: 19. cont: Fauſt: c. 11. *In nullum,* in-

lum, inquit, *nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio, colligentur.*

Quomodo creditur Ecclesia. Nec obstat illud Lutheri argumentum, Lib: de abrog: Miss: priu: part: 1. *Quis Ecclesiam nobis monstrabit, cùm sit occulta in Spiritu, & solùm credatur: sicut dicitur: Credo Ecclesiam Sanctam?* Sicut enim *Ioan: 20.* Sanctus Thomas Apostolus & vidit, & credidit; non obstante eo, quòd fides sit non apparentium; quia, vt ait S.Gregorius: *Aliud vidit, aliud credidit: vidit humanitatem, credidit Diuinitatem*: ita & Ecclesia nostra videtur, simul & creditur: sed aliud videtur, aliud creditur. Videtur Cætus hominum externè eandem doctrinam Christi profitentium, & ijsdem Sacramentis Communicantium: creditur autem vera esse doctrina, quam ibi profitentur, vera Sacramenta, quibus vtũtur. &c.

Ecclesiæ Caput visibile necessariũ. 4. Colligitur tertiò, quòd cùm eadem Ecclesia Christi sit ex parte interna, & ex parte externa & visibilis; oportere consequenter, non solùm ab vno inuisibili Capite, per internas influentias, eam gubernari; sed etiam ab alio visibili Capite, & subordinato Christo, seu Christi Vicario, externè administrari; taliter vt subsint ei reliqui omnes fideles, imò & inferiores Pastores. Quod quidem nec Philippus Melant; improbauit, sed potiùs in nostrâ Ecclesiâ Catholicâ laudauit. Sic enim in Epistolis Theologicis, *Epist: 74.* ait: *Sunt aliqui Episcopi qui præsunt plurimis Ecclesiis, &c. Pontifex Romanus omnibus Episcopis præsidet. Et hanc politiam Canonicam nemo puto sapiens improbat, aut improbare debet. &c. Monarchia enim Pontificis Romani in hunc finem, meo quidem*

iudicio,

Iudicio, vtilis est, vt vnitas doctrinæ seruetur. &c. Hæc ille.

Si porrò non videtur inconueniens etiam Caluinistis, vt patet ex eorum Propositionib⁹, quòd inferiores Presbyteri, subdantur Episcopis, seu Superintendentibus: ita nec Catholicis videtur inconueniens, imò maximè congruum, quòd ijdem Episcopi subdantur tandem vni Supremo in terris Pontifici, non tanquam Vicarij eius, sed cum ordinariâ sua potestate, tanquam proprij in suis territorijs Pastores, & Principes: illi tamen subordinati, cui in suo Prædecessore, specialiter præ alijs, cura totius ouilis Christi commissa est, illis verbis, Ioan: vlt: *Petre amas me? Pasce oues meas.* Ad quem locum S. Chrysostomus: *Alijs*, inquit, *omissis. Petrum duntaxat affatur, Fratrum ei curam committit.* Et paulò post: *Nam cùm magna Dominus Petro communicâsset, orbis terrarum curam demandâsset, &c.* Et S. Ambrosius ibidem de S. Petro: *Quem eleuandus*, inquit, *in cælum, amoris sui Vicarium relinquebat.* Et S. Leo Ser: 3. de Assumpt: suâ ad Pontif: circa 440. annum: *De toto mundo, vnus*, inquit, *Petrus eligitur, qui & vniuersarum Gẽtium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Hoc idem & plures alij SS. Patres tradunt, qui vulgò pro Primatu S. Petri allegantur.

Summo Pontifici subsunt omnes Episcopi.

Nec valet, vt vulgò fit ab Aduersarijs, excipere contra tam aperta SS. Patrum testimonia; vel contra antiquum dogma, nouum quodpiam opponere; magisué Scripturæ conformem, suum, quàm tantorum Patrum, à tot sæculis rece-

Antiquitati cedendum

receptum sensum contendere; alioquin occurrit scriptura alibi iam citata, Iob 8. *Interroga generationem pristinam, & inuestiga Patrum memoriam. Hesterni quippè sumus. &c.* Occurrit & S. Hieronymus Epist: ad Pammach: & Ocean: *Quuquis*, inquit, *assertor es nouorum dogmatum, quaso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, qua Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos:* (adde nunc? post Mille quingentos annos) *docere nos niteris, quod ante nesciuimus? Vsq; in hanc diem, sine ista vestra doctrinâ, Christianus mundus fuit.*

Infallibilitas est penes Ecclesiã visibilem, etiãsi contineat peccatores.

5. Cùm docent Catholici Ecclesiam habere infallibilem authoritatem: non intelligunt aliquam Ecclesiam inuisibilem, contradistinctam Ecclesiæ visibili; quæ scilicet ex solis iustis, & prædestinatis constet; sed illam ipsam vnicam veram Christi Ecclesiam visibilem, quæ hactenus explicata. Cuius infallibilitati non obest, etiamsi habeat multos peccatores, ex ipsis quoque Prælatis: nam securos nos reddidit Christus etiam de talium doctrina; imò obedire dictis ipsorum præcepit, imitari solùm facta prohibuit, Matth: 23. *Super Cathedram*, inquit, *Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint vobis seruate, & facite; secundum opera verò eorum, nolite facere.* Hinc multi peccatores, & operarij iniquitatis, dicent in illâ die: *Domine in nomine tuo prophetauimus, &c.* nec vtiq; audebunt in conspectu tanti Iudicis mentiri: & tamen ex numero reproborũ erunt. Nimirum; vtitur quãdoq; Deus etiam talibus, pro instrumentis ad salutem hominum, & confert illis gratias gratis

datas in

datas in vtilitatem aliorum, qui sibi inutiles, imò causa sunt perditionis.

Porrò distinguere Ecclesiam inuisibilem, ex solis prædestinatis (penes quam sit infallibilitas) & Ecclesiam visibilem, ex prædestinatis & reprobis, siue iustis & iniustis, externè fidem Christi profitentibus (penes quam sit fallibilitas) repugnat Vnitati Ecclesiæ Christi; de quâ in sequentibus. Repugnat & doctrinæ Catholicæ: quæ non modo vnam in terris, verùm etiam vnam, & in terris, & in cælis, Ecclesiam Christi agnoscit. Sic enim apud S. Augustinum Catholici, in Collatione tertiæ diei, Donatistis respondent: *Eam Ecclesiam, quæ nunc habet permixtos bonos & malos, non esse alteram à Regno Dei, vbi non erunt mali commixti; sed eandem ipsam vnam, & Sanctam Ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos mixtos, tunc non habituram: Sicut nunc mortalem, quòd ex mortalibus constet hominibus, tunc immortalem, quòd in eâ nullus esset vel corpore moriturus: Sicut non ideo duo Christi, quia prius mortuus, postea non moriturus.* Hæc ibi. Quòd si, non obstante eo, quòd Ecclesia militans habeat bonos & malos permixtos, vna est cum Ecclesiâ triumphanti, vbi non sunt mali permixti; quantò magis vna erit in se eadem Ecclesia militans, etsi habeat bonos & malos permixtos?

Ecclesia in cælis, & in terris, vna.

6. Sensum Vniuersalis Ecclesiæ, non est opus ab omnibus & singulis fidelibus inuestigare; præsertim à Laicis. Cùm enim Pastores fidelium simul sint Doctores, quemadmodum Apostolus hæc duo, *ad Ephes: 4.* coniunxit, præsumi-

Sensus Ecclesiæ totius, à Pastoribus inuestigandus: non à Laicis.

ſumitur, quòd non aliter ſentiant oues, quàm ſicut illis tradiderunt Paſtores. Alioquin inuerſus eſſet ordo Eccleſiæ, ſi aliud Paſtores traderent, aliud oues ſaperent. Vel ſi oues deberent docere, Paſtores ab illis doceri: contra quod benè inſurgit S. Ambroſius *Epiſt: 32.* ad Valentin: Imp: *Si docendus eſt Epiſcopus à Laicis, quid ſequetur? Laicus ergò diſputet, & Epiſcopus audiat: Epiſcopus diſcat à Laico, &c.* Ad inueſtigandum ergò ſenſum Eccleſiæ Vniuerſalis, ſufficit noſſe ſenſum Paſtorum. Vnde duobus potiſsimùm modis innoteſcit ſenſus totius Eccleſiæ: vel per Paſtores eiuſdem Eccleſiæ, ſiue Epiſcopos in Concilio legitimo congregatos, vel per Supremum Paſtorem viſibilem, id eſt Summũ Pontificem. Porrò Scriptura Sacra, ſiue Verbum Dei, hîc non excluditur, ſed in ſuo ordine includitur; ſcilicet vt norma & regula deciſiui iudicij, ſiue per Summum Pontificem, ſiue per Concilium, eorum circa quæ controuerſia oritur.

Authoritas Papæ quomodo infallibilis.

7. Rurſum Summus Pontifex variè poteſt conſiderari: vel vt priuata perſona, ſeu priuatus Doctor; vel vt Summus Pontifex ex Cathedrâ pronuncians: & ſic iterum duobus modis; vel extra Concilium, vel cum Concilio. Authoritas Sũmi Pontificis vt priuati Doctoris, non eſt infallibilis: vt verò Summi Pontificis ex Cathedrâ pronunciantis extra Concilium, eſt certa & infallibilis. Pontifex enim vt ſic, non poteſt errare in fide: & contrarium aſſerere, eſto non cenſeatur à Bellarmino *Lib: 4. de Rom: Pontif: c. 2.* hæreticum, iudicatur tamen erroneum, & hæreſi proximum. Si verò conſideratur authoritas Pontificis vt Pontificis,

tificis, ſimul cum Concilio, aliquid decernentis, ita eſt certa & infallibilis, vt ei contradicere ſit omninò hæreticum.

8. Concilij authoritas eſt infallibilis, vbi illud à Summo Pontifice fuerit approbatum: Tunc enim perfectè repræſentat Eccleſiam, quando ipſum quoq; Caput includit: tuncq; maximè fit capax promiſsionum Chriſti de aſsiſtentiâ Spiritus S. omnem veritatem ſuam Eccleſiam edocturi. Porrò ad legitimum Concilium, & authoritatem illius, ſufficit & requiritur, quantùm ex conſuetudinibus & exemplis antiquorum Conciliorum colligitur; primò, vt fiat generalis euocatio, quæ ſaltem omnibus præcipuis Chriſtianis Prouincijs innoteſcat. Secundò, vt licet non omnes conueniant Epiſcopi (quod hactenus moraliter impoſsibile fuit) adſint ſaltem, ſi poſsibile eſt, omnes quatuor præcipui Patriarchæ per ſe, vel per alios, niſi ſint Schiſmatici, vel Hæretici (neq; enim hæc conditio adeò preſsè eſt neceſſaria, vt præiudicet valori Concilij) & vt nullus Epiſcoporum quicunq; acceſſerit, (dum modò iure, non priuetur loco in Concilio) excludatur: ipſorum enim eſt proprium Concilium conſtituere, in quo non ſe habent vt Conſiliarij tantùm, ſed vt veri Iudices, cum voto deciſiuo. Tertiò, vt ex maiori parte Chriſtianarum Prouinciarum conueniant, ſaltem in eâ orbis plagâ, vbi Concilium celebratur, ſcilicet in Oriente vel Occidente; eſto non ex vtraque parte mundi, tanta foret frequentia Epiſcoporum, quanta ex alterâ: prout etiam hactenus ſemper fieri ſolebat. Quartò, vt Summi Pontificis authoritate cógregetur, & ab ipſo, vel ſuis

Concilij authoritas quando infallibilis.

Quid requiritur ad legitimum Concilium.

vel suis Legatis præsideatur; vel saltem per ipsum approbetur, & confirmetur: sine qua approbatione, vel confirmatione, non obtinent Concilia vim infallibilitatis in decretis, circa dogmata fidei. Hæc praxis in omnibus legitimis Concilijs hactenus in Ecclesiâ obseruabatur. Videndus est Bellarminus de Concil: *L. 1. & 2.* & Grauina *Tom: 4.*

Conditiones iniquæ quas requirũt Protestãtes titulo Liberi Cõcilij.

Porrò illæ aliæ octo conditiones, quas Protestantes requirebant titulo Liberi Concilij, adeò sunt iniquæ, vt meritò reiectæ fuerint, tanquam illæ, quæ non modo in aliquo Concilio non fuerint adhibitæ, vel admissæ, sed potiùs omnibus Concilijs hactenus celebratis contrariæ. Qualis est illa, V.G. *num: 3.* Ne Summus Pontifex conuocet, aut præsideat Concilio; quo tamen iure per 1500. annos gaudebat: Vt sit item Pars quæ iudicio Concilij subiaceat: Cùm tamen nunquam hactenus præsumpserit Concilium, verum & legitimum Pontificem, iudicare; imò semper recusauerit; vt patet de S. Marcellino, cui dictum est à Concilio: *Prima Sedes à nemine iudicatur.* Et de Sixto III. quẽ accusatùm de adulterio, Concilium tamen non est ausum iudicare, quousq; ipse prius vltrò requireret, vt sua causa discuteretur, etsi in suo arbitrio esset, iudicari vel non iudicari; vt patet ex Actis illius Concilij. Sed & tot Hæretici cum Pontificibus causas fidei agitabant, & tamen non ideo ipsi, vel eorum Legati, non præsidebant in Concilijs. Sic plures quoq; Episcopi certabant cum Hæreticis, & tamen sedebant, imò & nomine Pontificis, præsidebant Concilijs. Ita Alexander cum Ario litigabat; & tamen quia Episcopus erat, sedebat Iudex in Concilio Nicæno. Et S. Cyrillus cum Nestorianis liti-

Pontifex non subiacet Cõcilio.

nis litigabat: & nihilominùs non modò ſedebat, ſed etiam præſidebat in Tertiâ Synodo.

Nec obſtat, quòd dicant Aduerſarij Summum Pontificem eſſe Partem; & ideo non debere eſſe Iudicem. Hoc enim non tenet in Supremo Principe, qui nō tenetur ſuo cedere loco, quouſq; non declaretur legitimè à ſuo excidiſſe Principatu. Quod quidē vbi res & æquitas exigeret, in caſu v.g. hæreſis, faceret de Sūmo Pontifice Conciliū, & Epiſcopi (qui in Concilio, vt dixi, ſedent tanquam Iudices) etiamſi, antequā eò ventum eſſet, ille præſideret. Sic de alijs conditionibus poſtulatis, & earū iniquitate, videri poteſt Gaſp: Villalpand, ſatis fusè hoc argumentum proſequens. Grauina *t. 4. Part: 2. diſp: 3. art: 6.* Bell: *de Conc: L. 1. c. 21.*

9. Veræ Eccleſiæ notæ aſsignantur à Catholicis quatuor illæ celebres: VNA, SANCTA, CATHOLICA, & APOSTOLICA; quārū ſingulæ ſunt explicandæ. Prima ergò nota veræ Eccleſiæ Chriſti, quòd ſit: *Vna*; & vnā profiteatur fidem: hæc colligitur ex illo Ioan: 17. *Rogo pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum, vt omnes vnum ſint.* Et Epheſ: 4. *Vnum Corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ; vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.* Et ibidem: *Occurramus omnes in vnitatem fidei.* *Notæ veræ Eccleſiæ quatuor.* *Prima nota, quod ſit vna.*

Porrò hæc Vnitas Eccleſiæ in eâdem fidei profeſsione, præcipuè attenditur ſecundum vnionem membrorū cum Capite, & inter ſe. Cum Capite quidem, id eſt, cum Romano Pontifice, & Romanâ Eccleſiâ, oportere eos qui ad vnam Chriſti Eccleſiam ſpectant, eſſe vnitos, indicat S. Cyprianus *Vnitas Eccleſiæ cū Capite & membrorum ad inuicem.*

prianus *Lib: 1. Ep: 3.* arguens quosdam: *Post ista*, inquit, *adhuc Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent: & ad Petri Cathedram atq; Ecclesiam Principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & prophanis literas ferre: nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non posßit accessum.* Et L. 4. Ep: 8. de Cathedrâ Romani Pontificis loquens: *Scimus hortatos nos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ Nutricem & radicem agnoscerent & tenerent.* Et Ep: 9. non aliundè dicit Schismata & hæreses obortas: nisi quod *Sacerdoti Dei non obtemperatur: Dum Episcopus qui vnus est, & Ecclesiæ præest; superbâ quorundam præsumptione contemnitur.* Et S. Hieronymus ad Damasum: *Hic*, inquit, *in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est.* Et in Epistolâ superiori ad eundem: *Ego interim beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extrâ hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit, spargit.*

Deinde ad vnitatem Ecclesiæ spectat, ipsos quoq; fideles, & membra illius inter se conuenire. Vnde S. Chrysost: in illud 1. Cor: 1. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi*, &c. *Ecclesiam Dei*, inquit, *appellat, vt ostendat in vnum eam redigi oportere. Nam si Dei est, vna est. Non Corinthi solùm, sed vniuersi orbis Ecclesia.* Et S. Basilius orat: in Mamantem M. *Iudæorum est in partes scindi: Ecclesia verò Dei tunicam inconsutilem desuper contextam adepta, quæ à militibus, ne scinderetur,*

confer-

conseruata est. Ad idem mysterium & S. Augustinus in Ioã: *Tract: 118.* refert Tunicam Christi inconsutilem; per quam dicit denotari Ecclesiam, quæ omnium partium significat vnitatem. Et S. Epiph: Hær: 3. *Hanc fidem*, inquit, *Ecclesia adepta, per totum mundum dispersa, diligenter conseruat, quasi vnam domum inhabitans.*

Hæc prima nota reperitur in Ecclesiâ Catholicâ, quam vocant Aduersarij Romanam. Habet enim, vt plusquàm notum est, communionem cum suo Capite; scilicet Summo Pontifice. Habet etiam vnionem omnium ipsarum partium inter se. Omnes enim toto Orbe Catholici, quotquot Romanæ Ecclesiæ communicant, etiam inter se in ijsdem fidei dogmatibus conueniunt. Esto enim aliqui Doctores in pluribus, intra probabilitatis metas contentis, vel antequam illis innotescat de aliquo dogmate mens Ecclesiæ, dissentiant: at vbi res fidei est, & per Ecclesiam Romanam innotescit, colla submittunt omnes, etiam doctissimi quique, securi de integritate doctrinæ Romanæ Ecclesiæ: iuxta illud S. Gregorij Nazianz: in Carm: de vitâ suâ: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti Orbi præsidet semper de Deo integram fidem habere.*

Quanta vnitas in Ecclesiâ Catholicâ.

Non solùm verò Doctores Ecclesiæ de præsenti inter se conueniunt, quoad dogmata fidei, sed conueniunt etiam cum omnibus antiquis eiusdem Ecclesiæ Alumnis; venerantur enim Sanctos Patres, velut suos Magistros & Præceptores, & deferunt illis humiliter, ac eorum sententijs subscribunt reuerenter. Hinc quippè Aduersarij sumpserunt occasio-

Vnitas cũ Ecclesiâ, & Patribus primorũ sæculorum.

occasionem, nos, quasi per ignominiam vocandi *Patrilogos,* non Theologos: palam enim fatentur plurima dogmata, quæ modo tenet Ecclesia Catholica Romana, & ipsi refutant; tenuisse olim antiquitatem, & Patres primorum sæculorum: vt ex ipsis fusè, per particularia discurrendo, deducit Grauina *L. 4. Præscript: de PP. Auth: Q. 3. a. 8.* Et videre est specialiter in Caluino: qui L. 3. c. 11. *Ne Augustini quidem,* inquit, *sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad Sanctificationem refert, quia in vita nouitatem regeneramur per Spiritum.* Et L. 4. c. 14. *Excusari non potest veterum error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrina, quæ in Euangelio Ioannis legitur, ieiunum obseruent sensum, seséq; implicant multiloquijs.* Ibidem cap: 16. Limbũ, fabulam vocat, *tametsi,* inquit, *magnos Authores habeat.* Et L. 3. c. 4. *Omnes ferè veteres, quorum libri existunt, in puncto de satisfactione lapsi sunt, aut nimis asperè & durè locuti.* Et ante cap: 3. esto aliquid videatur deferre S. Augustino, à quo vno sumendum iudicat, quicquid de sensu antiquitatis habere quis velit; mox tamen suam opinionẽ præfert opinioni S. Augustini, de Concupiscentiâ; quòd scilicet sit verè peccatum, etiam antequam appetitioni cedat voluntas: cuius contrarium palam fatetur docuisse S. Augustinum. Et *L. 2. c. 2.* Vocabulum *Liberi arbitrij,* liberè contra antiquos, Latinos & Græcos, reijcit. Et L. 4. c. 4. *Peccauit,* inquit, *Antiquitas immodica seueritate: quod plus requireret ab Episcopo, quàm Paulus requirat, ac præsertim successu temporis cælibatum.*

Hæretici reijciunt Patres, & sensũ antiquæ Ecclesiæ.

Scilicet; prætextu puri Verbi Dei, præsumunt antiquos Patres

Patres repudiare: quasi ipsi meliùs intelligant Verbũ Dei,& inhæreant illi, quàm Sanctissimi, & Doctissimi illorum sæculorum Patres, intellexerint, & inhæserint.

Catholicis autem magis est cordi vnitas illa, veræ Ecclesiæ, verus character: ideòque in omnibus dogmatibus fidei conueniunt, non modò cum modernis, sed etiam cum primis Ecclesiæ Alumnis. Sic Gaulterius in suâ Chronologiâ deducit, quomodo per cuncta transacta sæcula, præcipuæ illæ duodecim veritates, de quibus nunc controuertũt nobiscum Aduersarij, vnanimi consensu tenebantur ab Orthodoxis; scilicet, De reali præsentia, per transubstantiationem, Corporis Christi in Eucharistiâ; & de Sacrificio Missæ. De honore & inuocatione Sanctorum. De vsu ac veneratione Sacrarum Reliquiarum, & Imaginum. De libero arbitrio. De Fide non solâ ad iustificationem requisitâ. De merito bonorum operum. De Ieiunio. De Cælibatu. De Sacramento Pœnitentiæ, eiusq; partibus. De Purgatorio, & Suffragijs pro Defunctis. De Primatu S. Petri, & Romanæ Ecclesiæ. De Ecclesiæ authoritate, & infallibilitate, in suis decisionibus, decretis, & traditionibus. Similem laborem suscepit Grauina *L. 4. Præscript: De Sacris Traditionibus*, per tredecim sæcula probans constantem fuisse doctrinam in Ecclesiâ, circa has decem veritates. Nimirùm, de authoritate, & infallibilitate doctrinæ Ecclesiæ. De Primatu S. Petri. De Missæ Sacrificio. De Purgatorio, & Suffragijs defunctorum. De Votis Monasticis, & Cælibatu. De Transubstantiatione in Eucharistiâ. De Indulgentijs. De Sanctorum Inuocatione, & intercessione. De Sacrarum Reliquiarum, &

Cõsensus Ecclesiæ modernæ cum antiqua in præcipuis doctrinis, cum Aduersarijs nunc cõtrouersis.

rũ, & Imaginũ veneratione. Hæc est vnitas inuiolabilis Ecclesiæ nostræ Catholicæ, & fidei inuariabilis conformitas.

Specialis gratia Dei quòd inter Hæreticos non est cõsensio in dogmatib9.

Porrò Aduersarij non possunt eam vnitatem, sic apud se monstrare,& probare: ***Dei est gratia***, inquit S.Gregorius L. 7. Epist: 3. ***quòd in ipsis,qui à Sanctæ Ecclesiæ doctrinâ diuisi sunt, vnitas non est***: quò scilicet facilius à verâ discernerentur Ecclesiâ,Cætus eorum. Sic de Arianis S. Athanasius, Orat: 1. contra Arianos: ***Quot annis in vnum coëunt,veluti qui tabulas, pactaq; scribant; simulantq; se pro fide scripta conficere, mirè interim, & fœdè, & ridiculè: cùm Scripta eorum non modò ab alijs,sed etiam ab ipsismet explodantur.*** Et concludit: ***Ergò dum perpetuò scribunt, suammet ipsi immutantes incertam fidem, vel potiùs certam infidelitatem, dementiam ostendunt.*** Et rursum ibidem: ***Illud prorsus mirabile,omnes quotquot sunt hæreses, in fingendo diuersa pugnantia afferre: nec alibi nisi in falsitate, sibi inuicem consentire, & copulari.***

Hinc & moderni Aduersarij conscij defectus huius apud se Vnitatis,in fide & doctrina, non eam requirunt ad veram Ecclesiam. Sic Caluinus *L. 4. Instit: c. 1.* scribit, ***posse vel in doctrina,vel in Sacramentorum administratione, vitij quidpiam obrepere, quod alienare nos ab Ecclesiæ Communione non debeat.*** Et ideo ac primùm exortus est Lutherus,tot in Germaniâ,vbi tanta erat ante illum Vnitas in fide, & consensio, pullulauerunt Hæresum monstra diuersa, vt nullum vnquam in hoc genere sæculum fuerit feracius.

Quot diuersa hæreses ex hæresi Lu-

Inprimis enim ex vnâ radice Lutheri,prodierunt quasi tres stipites,Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum; ex singulis postmodùm hisce, innumerabiles ferè rami, de

mi: de quibus videatur Gaulterius circa sæculũ 16. Et Grauina in Method: Anal: Cathol: præscript: *c. 14.* Florimundus de Orig: Hæres: *L.2.c. 14.* vbi ab ipsismet Aduersarijs, quos citat, dicit numerari plusquàm ducentas inter ipsos Sectas, seu factiones. *theri pullulârũt*

Sola Lutherana Secta, à quibusdam sedulò id computantibus, triginta quatuor diuersis opinionibus fuisse distracta deprehenditur. Vnde Lutherus ipse *Tom: 5. in c. 5. ad Gal:* sic conqueritur: ***Violatâ Ecclesiæ concordiâ, atq; vnitate, dissensionum nullus est finis: Sacramentarij à nobis primùm exierũt; deinde Anabaptistæ, qui tamen longè inter se dissident. Sic vna secta prouocat alteram, & vna alteram condemnat. Cessante vnitate, in infinitum progredi numerum Mathematici dicunt: sic disturbatâ Ecclesiæ vnitate, erroribus aditum praecludere impossibile est.*** Et rursum alibi: ***Quid hoc esse dicam? Vix vnum os Diaboli obturo, & ecce decem alia ille aperit.***

Eò tandem quippe res deuenit apud Aduersarios, quòd de suâ ætate scripserat Euagrius, L. 4. c. 10. ***Cùm de fide***, inquit, ***disputatur, dissident Patres à Filijs, Filij à Parentibus: Maritus à Coniuge, Coniunx à Marito.*** Illudq; deprehensum, quod S. Hilarius contra Constantium notauerat: ***Periculosum nobis admodùm, atq; etiam mirabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores: & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, vt volumus, aut intelliguntur. Et cùm secundum vnum*** DEVM, ***& vnum Dominum, & vnum baptisma, etiam vna fides sit, excidimus ab eâ fide, quæ vna est; & dum plures fiunt, ad id caperunt esse, vt nulla sit.*** *Vbi multiplex, ibi nulla fides.*

Quanta odia mutua inter hæreses. Quantū verò omnes illæ Sectæ præsentis sæculi seipsas inuicem detestentur, quàm Vatiniano odio, ratione diuersorum dogmatum, sese prosequantur, quantis conuicijs se proscindant; nouit, qui vel leuiter peritus in ipsorum scriptis. Et quidem Caluinus Lutherum aliquando summè veneratus est. Sic enim de illo, Lib: 1. de libero arbitrio, contra Pyghium: *Non dißimulanter*, inquit, *testamur, Lutherum nos habere pro insigni Christi Apostolo, cuius maximè operâ, & ministerio, restituta hoc tempore fuit Euangelij puritas.* Et rursum: *Res ipsa clamat: non Lutherum initiò locutum, sed* DEVM, *per os eius fulminasse.* Eundem postea Lutherum, *Epist: 72. ad Bucerum*, vocat *Idololatram*, eò quòd Eucharistiam appellet Sacramentum adorabile. Et in vltimâ admonitione ad Westphalium, gloriatur se plusquàm ter cētum millia animarum à Luthero abstraxisse. Discipuli verò ipsorū quàm atrocissimè secum digladientur, qui vult nosse, legat Coccium in *Lib: de Sig: Eccl: a. 9. & 10.* & Florimundum sæpiùs id notantem, præsertim *L. 2. c. 15. & L. 5. c. 8.* Deniq; non habent Aduersarij Notam hanc Vnitatis cum antiquâ Ecclesiâ, & Patribus priorum sæculorum. Non solùm enim, (vt ostensum est in superioribus) multa improbant, & arguunt erroris, quæ antiquitùs Ecclesia, & SS. Patres tenuerunt; in quibus nos etiam modò conuenimus cum illis; verùm etiam ipsos SS. Patres primorum sæculorum, irreuerenter admodum tractant.

Sēsus Caluini de Luthero varius.

Cum antiquâ Ecclesiâ & antiquis Patribus, dißident Aduersarij.

Lutherus SS. Patres irreuerēter tractat. Et inprimis Lutherus, omnium huius temporis sectarū Princeps, de S. Dionysio Areopagita: *Multa*, inquit, *garrit, de Diuinis nominibus, de Ecclesiasticâ, & cælesti Hierarchiâ.*

Nihil

Nihil est in eo solidæ eruditionis. &c. S. Cyprianum, *infirmum Theologum* vocat. S. Hieronymum *Hæreticum.* Et alibi: *Hieronymus*, inquit, *mihi obijcitur, homo nullius iudicij, & diligentiæ. Nihil scripsit de verâ fide: nec deberet inter Doctores Ecclesiæ numerari.* Et rursum: *Impia & detestanda est vox Hieronymi. Quin te Hieronymum conculcamus vnâ cum Bethleem, cucullo, & deserto.* Et: *Nullum scio ex Doctoribus, cui æquè infestus sim ac Hieronymo: quia scribit de Ieiunio, & delectu ciborum; de Virginitate, &c. Origenem iam dudum diris deuoui. Chrysostomum nullo loco habeo: non est nisi loquaculus. Basilius nihil valet: totus est Monachus: ne pilo quidem illum redimerem. Gregorius à Diabolo deceptus. &c.* De S. Augustino: *Quis est*, inquit, *qui nos cogit illi credere? Apologia Philippi omnes Doctores Ecclesiæ superat, etiam Augustinum. Nihil curo, si mille Augustini, mille Cypriani, contra me starent.* Singulare est illud, quod dicit in Comm: ad Gal: 1. *Valdè speciosum, & robustum videtur argumentum Papistarũ: Ecclesia tot sæculis sic sensit, & docuit. Sic senserunt, & docuerunt, omnes primitiuæ Ecclesiæ Doctores, viri Sanctissimi. Quis es tu, qui ausis ab eis dissentire? Quando Sathan hoc vrget, dicas confidenter: siue S. Cyprianus, Augustinus, Ambrosius; siue S. Petrus, Paulus, Ioannes; imò Angelus de cælo aliter doceat, tamen hoc certo scio, quòd humana non suadeo, sed Diuina. Ibi enim cum fiduciâ dicere possum: Esto sanè Ecclesia, Augustinus, & alij Doctores; item Petrus, Apollo, imò Angelus de cælo, diuersum doceant: tamen mea doctrina est huiusmodi, quæ solius Dei gloriam illustrat. Petrus Apostolorum Summus, viuebat, & docebat extra Verbum Dei.* Tandem quid ex his con-

 cludit?

cludit? *Ego suadeo Diuina Omnes Patres stipites & fungi fuerunt.* Hæc, pluraq; alia, passim habet in Colloquijs mensalibus, in Genes: in Lib: de Seruo arbit: de captiuitate Babylonicâ, de abroganda Missa, contra Regem Angliæ, & alibi. Vide Grauinam *L. 4. Præscript: de PP. Sensu & Authoritate, Q. 3. art: 6.* pro singulis ferè loca citantem.

Caluinus SS. Patres irreuerēter tractat.

Caluinus quoq; alter post Lutherū suæ sectæ Princeps, haud meliora de Patribus sensit, & pronuntiauit. Nam & ipse S. Dionysium, *vanum stultum, garrulum*, vocat. In S. Ignatio Martyre, *putidas nenias* ait inueniri. S. Hieronymum dicit *naturâ cauillosum, ludentem proteruè: Maligni & peruersi ingenij.* Et alibi: *Sed dictum est*, inquit, *Hieronymi? Cuiuscunq; sit, quin planè impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur.* Et rursum: *Hieronymus excæcatus, nescio quo zelo, non labitur tantùm in falsas opiniones sed præcipitanter ruit. Puerile Sophisma ex hoc loco struit.* Sic Beza eundem S. Hieronymum *æquè damnatum* facit, ac Diabolum: *iniuriosum Apostolo, blasphemum sceleratum, impium.* Idem Caluinus S. Gregorium *multis erroribus* dicit imbutum, *non in scholâ Spiritus edoctum.* S. Augustinum vocat *Theologastrum nugacissimum, blaterantem nugas.* Commentaria eius dicit *falsa, profana, inepta, absurda, plusquàm anilia deliramenta, efficta fabularum, insomnia, allegorias pueriles, & frigidas: hominem in omni doctrinâ varium, & inconstantem: quem decrepitæ vetulæ emouerint desideria.* Vide, præter alios, Grauinam, vbi suprà de his, pluribusq; alijs, quæ seriatim per plurima dogmata recenset. Et Gault: ad primum sæculū Verit: 2. §. 6. Et Becanum *t. 5. de Eccles: reform: Concl: 8.* & sæpè aliàs;

aliâs; ipsa etiam loca Caluini citantes. Quis, pensatis his, credat, prædictos suarum sectarum Antesignanos, vnitatem fidei professos fuisse, cum Patribus priorum sæculorum, & cum ipsâ pro tunc Ecclesiâ, quæ non poterat aliam fidem habere, præter eam, quâ à suis pro tunc instituebatur Doctoribus, & Magistris?

Nec iuuat, si opponas nonnulla alia loca, in quibus ijdem videntur multùm deferre SS. Patribus, & eorum authoritati. Hoc enim plerumq; omnes Hæretici fecisse deprehenduntur, vt obseruat Grauina citatus sup: art: 1. Quò enim simplicioribus faciliùs imponant, nec eos ipsa doctrinæ nouitate penitùs deterreant, nonnunquam sua dogmata Sanctorum Patrum authoritatibus confirmant, quos alioquin proscindunt. Tandem ipse Caluinus palàm exposuit, quantùm SS. Patribus deferat. Sic enim in Epistolâ ad Regem loquitur: *Cùm improbis clamoribus nos obruunt, ceu Patrum contemptores, & aduersarios. Nos verò adeò illos non contemnimus, vt, si præsentis instituti esset, nullo negotio mihi liceat, meliorem eorum partem, quæ hodie à nobis dicuntur, ipsorum suffragijs comprobare.* Mox nihilominùs subiecit: *Sic tamen in eorum scriptis versamur, vt semper meminerimus omnia nostra esse, quæ nobis seruiant, non quæ dominentur.* Quo apertè indicauit, se in tantùm ipsos SS. Patres admittere, in quantùm necessarij sibi; non verò in quantùm contrarij: seu, in quantùm suis dogmatibus videntur quandoq; conducere, non in quantùm videntur contradicere, seu (proprio ipsius verbo) ad sui seruitium & obsequium, non autem ad dominium: potiùs enim doctrinæ SS. Patrum præsumunt

Fingunt Hæretici aliquãdo se deferre SS. Patribus, & quare?

Quomodo admittunt SS. Patres.

ſuam doctrinam dominari, quàm ſeruire; & doctrinam SS. Patrum doctrinæ ſuæ potiùs volunt ſeruire, quàm dominari: quod vbi doctrina SS. Patrum non præſtat, liberè, ac frequenter ab illis reijcitur.

Secunda Nota Eccleſia, quod ſit ſancta.

10. Altera nota veræ Eccleſiæ eſt, quòd ſit SANCTA: iuxta illud Iſaiæ 16. *Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, & dicent: Hi ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Dicitur autem Sancta Eccleſia, tum ex ſanctâ vitâ, & conuerſatione eorum, qui ad illā ſpectant; tum ex ſanctâ doctrinâ, quā tradit & profitetur. Dicitur, inquā, Sancta, imprimis ex parte ſanctæ conuerſationis fidelium; nō quòd omnes ſint ſancti, cùm multi inter illos ſint peccatores: ſed quòd, præter alia, (de quibus ſuprà) in illâ ſolâ, vera reperiatur ſanctitas, & nullatenus extra illam. Hinc potiùs ab iſtis Sanctis, qui in eâ ſunt, vocatur Sancta, quàm à ſceleratis, qui etiam non deſunt, ſcelerata: nam ſceleratos habere, commune eſt etiam alijs Cætibus: Sanctos verò habere, illi ſoli conuenit.

Sancta Eccleſia, ex ſanctitate vitæ multorū.

Extra Eccleſiam nullus ſāctus.

Sanctitas Eccleſiæ ex ſanctitate doctrinæ.

Deinde dicitur Sancta, ex parte doctrinæ, quemadmodum inſinuat S. Auguſtinus L. 2. de Ciu: Dei, cap: 28. *Nihil in Chriſtianis Eccleſijs turpe, & flagitioſum, ſpectandum, imitandumq; proponitur, vbi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.*

Sanctitas probatur miraculis.

Eadem Sanctitas veræ Eccleſiæ, & veræ fidei, comprobatur miraculis; iuxta illud Marc: 16. *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejcient, &c.* Et ibidem: *Illi verò profecti, prædicauerunt vbiq; Domino cooperante,*

perante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Et Hebr: 2. *Contestante Deo signis & virtutibus.*

Hanc notam Sanctitatis habet nostra Ecclesia Catholica, & in vitâ, & in doctrinâ. In vitâ quidem; nam singulis sæculis aliquos insigni sanctitate viros profert; vt videre est apud Gaulterium in Chronol: vbi recenset quolibet sæculo insigniores Sanctos, qui in eo floruerunt: ex quibus nonnullos, Aduersarij, tunc quoq; quando iam dicunt fuisse Ecclesiam corruptam, habent pro Sanctis, & appellant Sanctos. Sicut SS. Bernardum, Dominicum, Franciscum, vt videre est apud Luther: *L. de Capt: Babyl: c. 2.* Et Philippum *in Apol: art: 5. & 27.* & alios. *In Ecclesiâ nostrâ Catholica, vtraq; sanctitas, vitæ, & doctrinæ.*

Habet quoque Sanctitatem doctrinæ hucusq; illibatæ; nulli enim vnquam hæresi communicauit: & peruersa aliqua dogmata, quæ ei affiguntur iniquè, & per Calumnias illi imputantur (vt ex dictis & dicendis constat) siue per consequentias Aduersariorum, friuolè ex veris, & puris illius dogmatibus illata, non autem expresse in scriptis, aut professione Catholicorum, deprehensa.

Tandem eam Sanctitatem habet comprobatam à Deo miraculis, per singula sæcula. Prout per seriem recenset, præter alios, Bellarm: *L. 4. de Notis Eccles: c 14.* Vnde meritò inquit Ricardus L. 1. de Trin: c. 2. *Domine, si error, quod credimus; à te decepti sumus: ista enim in nobis, ijs signis & prodigijs confirmata sunt, quæ nonnisi à te fieri potuerunt.* *Probata miraculis per singula sæcula.*

E contrà, apud Aduersarios nulla Sanctitas vitæ, nulla Sanctitas doctrinæ; nulla miracula eandem Sanctitatem contestantia. Non Sanctitas vitæ; vt ex ipsismet Aduersariorum

riorum testimonijs fusiùs deducetur in Actione 3. §.2. Non sanctitas doctrinæ; quam potiùs Sanctitati repugnare, ex his capitibus deducitur. Primò; quia doctrina illorum his potissimùm nititur principijs, Legis Diuinæ obseruationem esse impossibilem, etiam cum adiutorio gratiæ Dei; vt docet Caluinus in Antid: Concil: *Sess: 6. c. 12.* Et *L. 2. Instit: c. 7.* Quis igitur, secundùm hanc doctrinam, potest vitare furta, homicidia, adulteria? Item: bona opera nullius esse meriti, aut valoris, apud DEVM: quid igitur necesse erit nos esse de illis solicitos? imò cùm addant, nihil esse aliud, *nisi sordes & inquinamenta.* vt docet Caluinus *L. 2. Instit: c. 17.* quis non potiùs censebit illa vitanda, quàm facienda? vtiq; iuxta consilium Lutheri, *Serm: de Nouo Testam:* dicentis: *Caueamus à peccatis, sed maximè ab operibus bonis.* Item: Electis non imputari peccata, nec obesse: nam quicquid agant, saluabuntur. Reprobis nihil prodesse bona opera: nam quicquid agant, damnabuntur; vt docet idem Caluinus *Lib: 3. Instit: c. 4.* & ex alijs locis, & doctrinis illius, hoc idem colligitur efficaciter & euidenter; vt videre est apud Becanum *Tom: 4. in Tit: Orthodoxi Paradoxo* XVI. Quis igitur ex electis continebit se à malo? quis ex reprobis applicabit se ad bonum? si quicquid agant, illis non oberit, his non proderit: illi nō peribunt; isti non saluabuntur. Cùm tamē apud Catholicos, non quicquid agant electi, saluabūtur; præsciti, damnabūtur; sed eò ipso quòd illi electi, benè agendo, saluabuntur; isti verò malè agendo, damnabūtur. Quomodo itaq; illa doctrina, ex hoc etiam capite potest vocari Sācta, quæ non cōducit homines ad maiorē vitæ Sanctitatē, sed potiùs ad latā & spatiosam viā peccatorū?

Sanctitas doctrina non est apud aduersarios.

Secun-

Secundò deest Sanctitas doctrinæ Aduersariorum, quia referta est multis mendacijs & falsitatibus. Hoc patet ex dictis, ac dicendis; quàm multa, scilicet, falsò & mẽdaciter, Confessio Augustana, nec non Apologia eius, imputat Catholicis. Et similiter Caluinus *Lib: 4. Instit: c. 7.* §. *27.* scribit: *Pontifices cum Cardinalibus docere nullum esse Deum, nullum Christum, nullam Resurrectionem.* At hoc tam euidenter falsum, vt nihil magis. Et tamen hic primus Reformator & Institutor fuit Aduersariorum, à quo prima suæ Sectæ hauserunt rudimenta, & cuius doctrinam acriter vbiq; propugnant, plusquàm SS. Patrum, à quibus faciliùs & frequentiùs recedunt, quàm à suo Caluino. *Doctrina illorũ referta mẽdacijs.*

Tertiò præterea deest Sanctitas doctrinæ illorum, propter multam immunditiam admixtam libris ipsorum, qui primi Sectæ Authores erant: vt videre est passim in Scriptis Lutheri. Item: propter conuicia & maledicta, quibus Catholicos impetunt: vt tam apud eundem Lutherum, quàm apud Caluinum passim est reperire. Specialiter apud Caluinum in Antid: Concil: vbi Patres eiusdem Concilij Tridentini vocat, *Stupidos, quisquilias, asinos, porcos pecudes crassos boues, otiosos ventres, mendicabula, putrida cadauera, silicernia, blaterones, Patres cornutos Tridentinam colluuiem exitialia monstra, spurios, degeneres meretricis filios, Christi hostes. Antichristi legatos,* &c. Et *in cap: 23. Matth:* audet hæc contra Catholicos proferre: *Si nunc viueret Petrus, eum discerperent Papistæ, lapidibus obruerent Paulum. Si Christus ipse adhuc ageret in mundo, eum lento igni vstularent.* Quid non cõtra ipsos quoq; antiquos SS. Patres vterq; protulit? *Item impuritatibus, & conuicijs.*

 iam vi-

iam visum est suprà. Hæc porrò non possunt stare cum sanctitate doctrinæ, nec cum his sanctitas doctrinæ.

Quartò, doctrina Aduersariorum, in quantùm contraria doctrinæ Catholicæ Romanæ, consentit cum dogmatibus diuersorum Hæreticorum: vt fusissimè prosequitur suprà memoratus Grauina, *Lib: 4. Præscript: de Traditionibus, Art: vlt.* Vbi per singula sexdecim sæcula discurrendo, instituit harmoniam, siue consonantiam Hæreticorum ab Ecclesiâ damnatorum, & pro Hæreticis semper in Ecclesiâ habitorum, cum Sectarijs modernis; & errorum quos illi tenuerunt, cum dogmatibus quæ isti profitentur.

Lutheri cum Dæmone cõmerciũ. Vltimò deniq; primus omnium Sectarum modernarũ Princeps & author Lutherus, palàm fatetur se habuisse cum Diabolo consortium, & communicationem, non solùm circa abrogandam Missam, (de quo alibi) sed etiam quoad alia. Sic *Lib: de Missa priuata*, dicit se Diabolum habere studiorum socium, ac se plusquàm modium salis cum ipso comedisse. Et plura alia huiusmodi, ex ipso, & alijs suismet, vide apud Florimund: *de Orig: hæres: L. 1. c. 15.* Quomodo ergò de Sanctitate doctrinæ talis Magistri præsumendũ est?

Frustra Aduersarij abnegant Lutherum, vel Caluinum. Nec enim valet, si dicant Aduersarij, se non Lutheri, aut Caluini doctrinam profiteri, sed Verbi DEI, in Scripturis contenti: Tandem enim hoc Verbum DEI, non secundum sensum & interpretationem Ecclesiæ Catholicæ, sed secundum sensum & interpretationem, quam docet & introducit Caluinus, aut Lutherus, accipiunt: vel si dicant, quod secundum sensum & interpretationem antiquorum Patrum, & antiquæ Ecclesiæ (esto id falsum esse alibi ostenditur)

ditur) accipiũt, nihilominùs etiã hos SS. Patres, & antiquã Ecclesiã, non iuxta sensum & mentem Ecclesiæ Catholicæ, quẽ modò habet, vel tẽporibus Lutheri & Caluini habebat, sed iuxta sensum & mentẽ eiusdem Lutheri, vel Caluini, interpretantur: & ita tandem vltimatè fit resolutio ad istos.

Demùm quantùm ad miracula attinet, ab his compendiosè se expedit ipse Lutherus, L. de Seruo arb: cont: Erasm: *A nobis*, inquit, *qui negamus Sanctimoniam, miracula exigi non debent: à vobis qui asseritis, debent.* *Miraculis ipsi fatentur se destitui.*

II. Tertia veræ Ecclesiæ Christi Nota est, quòd sit CATHOLICA; & hæc Nota adeò propria Christi Ecclesiæ, vt per eam secernatur ab hæreticis quibusque Cætibus. Alij enim hæretici vocantur passim ab Authoribus suæ hæresis, vt notat Iustinus in Tryphone: *Sunt*, inquit, *distincti cognominibus, denominati à quibusdam viris, vt quisq; fuit author nouæ doctrinæ. Ex ijs aliqui vocantur Marcionistæ, alij Valentiniani, alij Basilidiani, alij Saturniniani, alij alio vocabulo, quiq; à primo inuentore sui dogmatis.* Sola vera Ecclesia Christi, cum suis Filijs, vocatur Catholica. Hinc S. Cyrillus, Catech: 18. *Si ieris*, inquit, *in aliquam vrbem, non petas vbi sit Ecclesia, vel domus Dei: nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam: sed petas vbi sit Catholica Ecclesia: id enim nomen, proprium est huius Sanctæ Ecclesiæ Matris omnium nostrûm.* *Tertia Ecclesiæ Nota, quod sit Catholica.* *Hoc vocabulo discernitur ab omnibus Sectis.*

Et S. Pacianus ad Sympron: Epist: 1. *Ab hæretico nomine noster populus hâc appellatione diuiditur, cùm Catholicus nuncupatur.* Et ibidem: *Cùm post Apostolos hæreses extitissent, diuersisq; no-*

sisq; nominibus, columbam Dei, atq; Reginam, lacerare per partes & scindere niterentur, nonnè cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret vnitatem: ne intemeratam Dei virginem, error aliquorum per membra laceraret? Nonnè appellatione propriâ decuit Caput Principale signari? Ego forte ingressus populosam vrbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apollinariacos, Cathaphrygas, Nouatianos, & cæteros huiusmodi comperissem, qui se Christianos vocârant, quo cognomine Congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? &c. Certè non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit. Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores. Et rursum: *Christianus mihi nomen est: Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat; istud ostendit; hoc probor; inde significor.*

Hæc Nota verè & propriè competit nostræ Ecclesiæ; esto Aduersarij, quo istum titulum nobis derogent, vel restringant, vocent nos vulgò *Romano Catholicos*, vel absolutè *Romanos*; seu quod in ijdem reincidit *Papistas*, aut *Pontificios*, scilicet à Pontifice Romano: & non aduertunt hæc duo; *Romanum*, & *Catholicum*, semper in Ecclesia fuisse conuertibilia. Semper enim Ecclesia Catholica, Romanæ, velut Matrici, erat Vnita, vt ex dictis patet. Hinc & S. Ambrosio ante tot sæcula *Romanus*, idem erat quod *Catholicus*: in Sermone namq; de obitu fratris sui Satyri, commendat illum, quòd in extrema regione positus, ab Episcopo petijt: *An cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romanâ Ecclesiâ conueniret?* Et S. Hieronymus ad Ruffin: *Si Romanam fidem suam dicit, ergò Catholici sumus.* Et S. Augustinus *Epist: 162.* Cæcilianum

Catholicus, & Romanus, idem.

lianum dicit, *Romana Ecclesia, in quâ semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, per Communicatorias literas esse coniunctum.* Sed & S. Chrysost: *Hom: 33. in Acta:* non improbat, si Catholici denominentur ab ijs, qui Ecclesiam gubernant nomine Christi, modò non denominentur ab aliquo homine particulari: sicut hæretici faciunt. Quo videtur S. Chrysostomus præuidisse, ab huius ætatis hæreticis, Catholicos fore vocandos *Papistas*: quamuis soli Aduersarij sic eos vocitent; cùm, per totum Orbem, & omnes alias nationes, non sic vocentur; sicut ipsi, *Caluinistæ*, vel *Lutherani*, vbiq; vocari solent. Vocabulum ergò *Romano-Catholici*, non detrahit, nec restringit Catholicismum, sed verum & purum designat, & exprimit.

Porrò in sensu genuino *Catholicus* idem sonat, quod Vniuersalis. Est autem triplex Catholicæ Ecclesiæ Vniuersalitas, ex quâ vocatur Catholica: Primò, ex parte Personarum. Secundò, ex parte locorum. Tertiò, ex parte temporum. Vnde Vincentius Lerinen: *adu: prof: voc: nouit: c. 3.* in hoc verè & propriè Catholicum ponit: si sequamur *Vniuersitatem*, quæ respicit loca. *Consensionem*: quæ personas. *Antiquitatem:* quæ respicit tempus. Sic verò nostram Ecclesiam constat esse Catholicam.

Catholicus vniuersitatē significat triplicē.

Primò, *ex parte Personarum*, simul *&* *loci*; in quantùm in omnibus gentibus reperiuntur Catholici, & eandē, quam nos in his partibus, Religionem profitentur, ac obedientiam Summo Pontifici deferunt. Et quemadmodum olim S. Hieronymus ad Lætam scribit, Epist: 7. *De Indiâ, Perside, Aethiopiâ, Monachorum quotidie turmas suscipimus: deposuit pha-*

Vniuersitas Ecclesiæ nostræ, ex parte loci. & personarum.

fuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium. Scythiæ frigora, calore fidei feruent. Getarum rutilus & flauus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria, &c. ita & modò videre est propagari Ecclesiam nostram Catholicam per omnes mundi partes, & mitti continuò operarios, qui non modicos fructus in terris infidelium faciunt, & varias gentes Catholicæ nostræ Ecclesiæ aggregant. Non enim eò pergunt nostri Sectarij: quorum hac in parte ingenium benè expressit Tertull: L. de Præscript: *Hoc est negotium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.* Eandem Ecclesiæ nostræ Vniuersitatem, ipse Caluinus recognoscit, in quandam Epistolam S. Pauli scribens: *Videmus,* inquit, *vt non modò procerum sit, ac amplum, Papæ Regnum, sed prodigiosâ magnitudine vrgeat.*

Hæreticorum mos, non conuertendi infideles, sed peruertendi fideles.

Vniuersitas Ecclesiæ ex parte temporis.

Deinde *ex parte temporis*; constat iam ex dictis, eandem doctrinam nunc in Ecclesiâ tradi, quæ antiquitùs tradebatur; nil enim contrarij antiquis & primis dogmatibus continet: esto aliqua successu temporis enucleatiùs sint declarata: quæ primis sæculis erant inuoluta: quod tamen non variationem arguit doctrinæ, sed profectum.

Hæretici vsurpant sibi titulũ Catholici frustra.

Porrò ipsi quoq; Aduersarij, veram hanc, veræ Ecclesiæ Christi, Notam agnoscẽtes, tam auidè & affectatè illam sibi vsurpant, vt videas modernos Scriptores illorum, singulis ferè paragraphis præferre: *Nos Catholici.* Quibus imprimis illud posset obijci. Quomodo vocabulum Trinitatis, Liberi arbitrij, Transubstantiationis, & similia displicent, eò quòd in Scripturâ non reperiantur eiusmodi vocabula, licet res

reperiatur? & nihilominùs Catholici appellatio placeat, cùm tamē (prout obiecit aliquis S. Paciano, vbi suprà.) in Scripturâ quoq; nō reperiatur? Siccinè extra Verbū Dei, licet ex electione, quod placet acceptare, quod placet reijcere?

Deinde illud quoq; habet locum contra illos, quod obseruat Lactantius, L. 4. c. vlt: Diu: Inst: *Sola*, inquit, *Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. &c. Sed tamen singuli Hæreticorum Cætus, se potißimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* At benè notat Drogo Host: Lib: de Sacr: Pass: D. *Quot sunt hodie, qui dicunt: Nos sumus de domo Christi: nos sumus de domo Ecclesiæ; & sunt de domo Caiphæ?* Hinc S. August: lib: cont: Ep: fund: c. 4. *In Ecclesiâ Catholicâ tenet me ipsum Catholicæ nomen: quod non sine causâ, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes Hæretici, se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur? nullus Hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Et L. de verâ Relig: c. 7. *Christiana*, inquit, *Religio, Catholica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam ab omnibus suis inimicis: velint nolint ipsi quoq; Hæretici, & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicum nil aliud, quàm Catholicum vocant. Nec enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.*

Cæterùm constat, quàm nullo fundamento Aduersarij se Catholicos possint vocare, quos extra vnum angulum Orbis, vix aliquid exporrigi contingit; & qui tantùm inter se dissentiunt, vt primis annis, ex quo Lutherus suum Euangelium cæpit disseminare, mox tot myriades Sectarum ex

 vnâ illâ

vnâ illâ Sectâ prodierint, vt suprà probatum est: Qui deniq; non consentiunt cum antiquâ Ecclesiâ, sed vel ipsi, à se primò inuentam doctrinam, & contra totius Orbis & antiquitatis sensum excogitatam, palàm fatentur; vt videre est in eodem omnium Sectarum huius ætatis Antesignano Luthero: qui in Præf: Lib: de abusu Missæ: *Quàm sæpè*, inquit, *mihi cor palpitauit, meq; coarguit, atq; obiecit. Tune solus sapiens? cæteri omnes errant? ac tanto tempore errârunt? Quod si tu erres? ac tot in errorem seductos perpetuo supplicio condemnes?* Et alibi, Serm: Conuiu: fol: 10. *Pergraues mihi fuerunt istæ cogitationes: Tu solus purum atq; emaculatum Verbum Dei habes, cæteri omnes eo destituuntur? Quod Christiana Ecclesia decreuit, totq; annos credidit, tù impugnas, & tanquam falsum euertis? Quin & tua doctrina Politicum atq; Ecclesiasticum regimen conturbat. &c.* Et fol: 158. *Istas cogitationes nunquam ex animo dimitto quin optimè vellem hanc me causam nunquam incæpisse.* Et fol: 273. *Nunquam maiores, grauioresq; tentationes habui, quàm ex meis concionibus. Cogitabam enim ista: Tu solus incæpisti. Istâ tentatione sæpè ad infernum vsq; demersus sum.* Et alibi confidentiùs, seu præsumptiosiùs: *Primus fui*, inquit, *cui Deus hæc quæ vobis prædicata sunt, reuelare dignatus est.* Tam noua igitur doctrina, quæ decimo sexto sæculo primùm orta est, ex ipsius Authoris confessione, quî vocari potest Catholica, quoad vniuersalitatem temporis?

Lutheri angustiæ, quòs contra omnes primus cæperit nouam doctrinam seminare.

Quarta Ecclesiæ nota quòd sit Apostolica, & vnde?

12. Quarta veræ Ecclesiæ Christi Nota est, quòd sit APOSTOLICA. Dicitur autem Apostolica, quia initium habuit in Apostolis, & per Apostolos propagata est, & Apostolicam

ſtolicam conſeruat doctrinam, & ritum Chriſtianæ Religionis, ac Sacrarum Cæremoniarum obſeruantiam, à traditione Apoſtolicâ deriuatam, vt aiunt SS. Hieronymus *in Pſal: 44.* & Auguſtinus *L. 2. contra Donatum.*

Potiſsimùm verò vocatur Apoſtolica, ob Succeſsionẽ legitimam Paſtorum ab Apoſtolis vſq; deductam. Hinc S. Irenæus *L. 3. c. 3.* per hanc Succeſsionem Epiſcoporum ab Apoſtolis, colligit fidem noſtram ab Apoſtolis ad nos, legitimè & veraciter deuolutam, eandemq; eſſe cum fide Apoſtolicâ: *Hâc enim,* inquit, *ordinatione & Succeſsione Epiſcoporum, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, ad nos vſq; peruenit: & eſt plenißima oſtenſio, & vnam & eandem fidem eſſe; quæ ab Apoſtolis vſq; nunc ſit confirmata.* *Succeſsio Paſtorum ab Apoſtolis in Eccleſia.*

Et quidem Eccleſiam ex vna parte ſine Paſtoribus impoſsibile eſt eſſe, iuxta illud S. Hieronymi contra Lucifer: *Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes.* Ex aliâ parte: iſtos Paſtores Eccleſiæ oportet eſſe legitimos; per oſtium ſcilicet intrare, non aliunde. Oſtium autem, quo intrant legitimi Paſtores, eſt Canonica & legitima Ordinatio, & Succeſſio. Hinc S. Paulus non priùs in Eccleſia Paſtoris officium exercuit, *Act: 13.* quàm Apoſtoli impoſuiſſent illi manus. Hinc & in Nicena Synodo *Cap: 4.* ſtatuitur, vt Epiſcopus à tribus vt minimùm Epiſcopis ordinetur. Vnde & Anicetus *Epiſt: 2.* refert, S. Iacobum ordinatum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymæ, à Petro, Iacobo, & Ioanne. Et S. Paulus de Ordinatione Timothei ſcribens: *Noli,* inquit, *negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterij.* Nomine *Presbyterij,* Cætum plurium Epiſcopo- *Legitima Ordinatio, & Legitima Succeſsio Paſtorũ, in quo conſiſtit.*

ſcoporũ,ſecũdũ S.Chryſoſt: Theoph: Oecumẽ: & alios,intelligens. Sacerdotes quoq; reliqui,non niſi ab Epiſcopo ordinari poſſunt; vt oſtenditur C. 6. de Sacramẽtis. §. 2. ad fin.

Itaq; per legitimam ordinationem Eccleſiaſticam, & formam, vltra mille ſexcentos annos in Eccleſiâ obſeruari ſolitam, Presbyteri ab Epiſcopo, Epiſcopus ab alijs Epiſcopis, & illi ab alijs, & illi alij, ab alijs & alijs ordinantur; vſq; tandem ad Apoſtolos ipſos deueniatur; & Succeſsio finaliter demum in Apoſtolos reſoluatur.

Vnde de primo ad vltimum, ſicut vera Eccleſia non poteſt eſſe, ſine Sacerdotibus, veri Sacerdotes, ſine legitimâ ordinatione, vera ordinatio, ſine legitimâ ſucceſsione, legitima ſucceſsio, ſine reductione vſq; ad ipſos Apoſtolos: ita vera Eccleſia non poteſt eſſe, niſi quæ ſit Apoſtolica, ex Succeſsione videlicet Paſtorum legitimâ, ab Apoſtolis deductâ, vel vſq; ad Apoſtolos reducta. Quod præſertim in Cathedrâ Petri, quæ omnium aliarum Principatum obtinet, attendendum eſt.

In Eccleſia noſtra reperitur Succeſsio ab Apoſtolis legitima.

S. Auguſtinus agnoſcit illam.

Cùm igitur noſtra Eccleſia Catholica oſtendat in ſuis Paſtoribus hanc Succeſsionem; & facilè vindicet illam ab Aduerſariorum impugnationibus: conſequens eſt ipſam eſſe Apoſtolicam, & eo titulo omnibus Cætibus præferendã. Hinc S. Auguſtinus contra Epiſtolã Manich: cap: 4. *Multa ſunt alia,* inquit, *quæ in eius gremio, nempe Eccleſiæ, me iuſtiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum, atq; Gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, veritate firmata; tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit, vſq; ad præſen-*

præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Et Epist:165. à S. Petro, vsq; ad Anastasium, sui temporis Papam, Successionem deducens, concludit: *In hoc ordine successionis, nullus Donatista, Episcopus reperitur.* Et *Lib: de vtil: cred: cap: 17.* ad eam Ecclesiam nos aduocat, & illi securè nos posse cōmittere docet, quæ hanc successionem habet: *Dubitabimus,* inquit, *nos illius Ecclesiæ gremio condere, quæ ab Apostolicâ Sede, per Successiones Episcoporum, frustra Hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit.* Et cum Petiliano cauillanti Cathedram Romanam, *L. 2. c. 51.* sic expostulat: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Athanasius sedet? Cur appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam?* En quomodo ob Successionem ab Apostolo Petro, *Apostolicam* vocat. Deniq; S. Hieronymus in extremo Dialogo, contra Luciferianos: *Breuem* inquit, *animi mei sententiam proferam, in illâ esse Ecclesiâ permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad diem hanc durat.*

Aduersarij nō possunt legitimā successionem ab Apostolis ostendere.

Cæterùm iam ab Aduersarijs nostris exigendum foret, quod ab Hæreticis sui tēporis exigebat olim Tertull: L. de Præscrip: *Edant*, inquit, *Hæretici origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, habuerit Authorem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia, Clementem à Petro ordinatum, refert: Confingant tale aliquid Hæretici.* Et rursum requiratur ab illis cum Optato Mileuitano, *Lib: 2. contra Parmen:* vbi postquam enumerasset Pontifices Romanos, à Petro vsq; ad Syricium, qui tunc sedebat; sic tandem Donatistas

tistas compellat: *Vos vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vendicare.*

Sanè sicut illi, sic nostri Aduersarij, nullo modo possunt ostendere Successionem talem suorum Pastorum, vsque ad Apostolos: consequenter nec probare Ecclesiam suam esse *Apostolicam.* A quibus enim Episcopis ordinati illorum Episcopi? aut quibus successerunt Episcopis, qui suam quoque Successionem vsque ad Apostolum aliquem referant? Nimirùm, de illis esse conuincũtur, quos S. Cyprianus, *L. de Simpl: Prælat:* perstringit: *qui se vltrò sine Diuinâ dispositione præficiunt: qui se Præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt: qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.* Et idem, *Lib: 1. Epist: 6.* non vult Nouatianum pro Episcopo agnoscere, quia non successit: *Nouatianus in Ecclesia non est, neq; Episcopus computari potest, qui Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à seipso ordinatus est.*

Notæ Ecclesiæ ab Aduersarijs positæ, rejciũtur. 13. Has ergò quatuor Notas, asserunt Catholici esse veras & proprias, veræ Christi Ecclesiæ, discernentes illam à quocunq; alio Cætu: non verò eas, quas ponunt Aduersarij, in suâ Propositione quartâ, quas quæcunque Sectæ ex æquo vsurpant sibi, & præsumunt se habere; scilicet legitimam Verbi Dei prædicationem, siue Saluificæ fidei, secundum indubitatum Dei Verbum, professionem, Sacramentorum integram administrationem, & similia: de quibus nihilominùs inter easdem Sectas præcipuæ sunt concertationes, & maximæ difficultates, & ex quibus nequaquam fit notius, quod requiritur: cùm tamen oporteat notas, siue signa, notiora es-

tiora es-

tiora esse ijs, quorum sunt notæ, vel signa. Hæ autem, quæ per Catholicos assignantur, notæ, tam sunt euidentes, & congruæ, vt facilè quilibet possit perspicere, vbi nam sint? vbi desint?

14. Catholici excludunt ab Ecclesia omnes eos, quicunq; non modò in fundamentalibus, sed etiam in minimis quibusq; dogmatibus fidei, imò vel in vnico minimo fidei dogmate dissentiunt: quod tamen Aduersarij nil obesse dicunt. Cæterùm, Catholici habent pro se sententias Sanctorum: exempla antiquæ Ecclesiæ: & rationem. ***Vel in vnico dogmate fidei error excludit ab Ecclesia, & verâ fide.***

Quantum ad primùm, S. Gregorius Nazianz: Tract: de Fide: *Nihil*, ait *periculosius his Hæreticis esse potest, qui cùm integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, ac si veneni guttâ, veram illam ac simplicem fidem Dominicam, & exinde Apostolicæ Traditionis, inficiunt.* Idem fermè ait S. Ambrosius, *L. de Fide, contra Arianos.* Et in Luc: c. 9. *Christum etiam*, inquit, *sibi Hæretici videntur habere; nemo enim Christi nomen negat, qui non omnia quæ Christi sunt, confitetur: vnum dogmatum eius si retraxeris, retraxisti salutem tuam.* Adde S. Augustinum, *L. de vera Relig: cap: 5.* vbi Ecclesiam à Philosophis discernit, in eo, quòd illi eadem sacra suscipiebant cum populis: de Deorum tamen suorum naturâ, & de summo bono dissentientes sententias sustinebant. *Ecclesia autem Christiana*, inquit, *etiā paria Sacramēta celebrantes, tamē quia sententiâ dispares sunt, à Catholica communione excludit.* ***In fide, etiam litera vnica æstimanda.***

Quantùm ad exempla attinet, scribit Theodoretus *L. 2. Hist: c. 18. & 19.* quomodo, cùm peterent Ariani à Catholicis, vt

licis, vt vel vnicam vocem, quæ nec in Scripturis, nec in Symbolo Apostolorum habebatur; imò vel vnam saltem literam in ea immutarēt, & pro ὁμοούσιον, admitterent ὁμοιούσιον; pacem, si hoc obtinerent, pollicendo: denegârunt nihilominùs Catholici: & Imperatori scripserunt nefarium esse de rebus definitis, aliquid immutare: nec inde sperandam fore pacem. Quàm verò bono consilio id fecerint Catholici, patuit postmodùm, cùm ijdem Ariani quosdam alios simpliciores in Concilio Arimin: seducendo, ad hoc idem induxerunt: & obtentâ ab eis vnius literæ immutatione, mox prædicârunt syllabæ integræ immutationem se obtinuisse, cum maximâ doctrinæ variatione pro ὁμοούσιον, substituendo ἑτερούσιον: vt refert idem Theodoretus *L. 2. Hist: c. 12.*

Hinc S. Basilius cautior, Valenti Imperatori requirenti, vt tempori cederet, neué propter paruam dogmatum subtilitatem, tot Ecclesias vexari pateretur: Respondit, apud eundem Theodoretum L. 4. c. 17. *Qui Diuinis innutriti sunt eloquijs, corrumpere de Diuinis dogmatibus, ne vnam quidem syllabam patiuntur: sed pro his si contingat omnes etiam mortis species amplectuntur.* Hinc & Gelasius PP. *in Epist: ad Euphemianum*, petentem Hæreticum, vt aliquid de Religione Catholicâ remittendo, pacis gratiâ, condescenderet, argutè delusit: *Cùm dicis*, ait *condescendere nos debere vobiscum, interim iam vos descendere, aut descendisse monstratis. Vnde quæso, vel quo ista descensio est? vtiq; ex superiore quodam loco ad inferiora quæq; depositos: à Catholica Apostolicaq; communione, ad hæreticam damnatamq; collapsos videtis, cognoscitis, non negatis: sed etiam in superiore manentes sede, vultis impelli con-*

Condescendere malum.

pelli con-

pelli condescendere nos vobiscum: inuitatis ad ima, de summis. Nos conscendere vos nobiscum, rogamus, ad summa de imis. Hæc ille pulcherrimè. Deniq; S. Hieronymus, *L. 3. contra Ruff:* propter vnum verbum, aut duo, quæ contraria erãt fidei, multas hæreses dicit eiectas ab Ecclesiâ.

Quantùm deniq; ad rationem attinet, hæc euidens est. Vera enim fides tendit in obiectum, sub ratione formali reuelationis Diuinæ: ita vt omnia dogmata fidei, in tantùm sint dogmata fidei, in quantùm reuelata. Omnia igitur, sicut vnumquodque; & vnumquodque, sicut omnia firmiter tenenda sunt: nam non minùs reuelatio Diuina vnius, quàm omnium, digna est fide. Et qui assentitur vni rei reuelatæ, non alteri, esto minùs principali, tamen reuelatæ; euidenter conuincitur, quòd neq; illi primæ reuelatæ, ideò assentitur quia reuelata; sed quia per electionẽ placet. Nam si assentiretur quâ reuelatæ, assentiretur & alteri; cùm illa similiter sit reuelata: Et si huic non assentitur propter reuelationem, nec illi priori propter reuelationem assentitur, sed pro suo libitu. *Reuelatio Diuinæ, formalis ratio fidei.*

Porrò non potest esse magis perniciosus error, quã sit ille, quo aliqui ex Sectarijs persuadent sibi, se fore saluandos, si tantùm fundamentalia fidei teneant: (quæ etiam difficilè à non fundamentalibus discernuntur) quo falsâ & periculosâ securitate hæreant in multis erroribus, non quietem veram conscientijs suis afferentes, sed laqueum perditionis suis animabus inijcientes. *Grauis & periculosa aduersariorum deceptio.*

Depuratio ab Imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

1. IMputatur Catholicis, quòd Ecclesia illorum non sit vera Ecclesia, sed defecerit ab illâ primâ verâ Ecclesiâ; corruptaq; sit multis erroribus. Quando verò hæc Ecclesia Christi corrupta fuerit, vel defecerit? non conuenit inter illos. Aliqui enim illorum dicunt, quòd illa vera Ecclesia visibilis, quæ fuit primis quinque, vel secundum alios, sex ad summum sæculis, postmodum multis erroribus facta est obnoxia, imò, secundum alios, tota perijt, & defecit vsque ad tempora Lutheri. Vnde Caluinus in Præf: Instit: *Anteactis,* inquit, *sæculis, sic hominum ingratitudinem vltus est Deus, vt nulla vera Ecclesiæ facies extaret.* Idem nihilominùs agnoscit veram Ecclesiam, vsq; ad tempora S. Gregorij inclusiuè, mansisse. Ipsum enim S. Gregorium habet pro Sancto, *L. 4. Inst: c. 7.* nec non pro vero Ecclesiæ Romanæ Episcopo; licet eum vocet vltimum, eodem *lib: 4. c. 17.* Et alibi, *L. 1. c. 11. & l. 4. c. 2. & 9.* puram religionem, sinceramq; doctrinam, in omnibus Ecclesijs floruisse asserit, per annos 500. vsq; ad tempora Augustini. Et in Epistolâ ad Sadolet: *Statue tibi,* inquit, *ob oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi, & Basilij ætate, apud Græcos, Cypriani, Ambrosij, Augustini sæculo apud Latinos extitisse, ipsorum monumenta fidem faciunt. &c.* Hinc & *L. 4. Inst: c. 9.* Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesynam, Chalcedonensem, ac similes priscas Synodos, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectitur: *Nihil enim,* inquit, *conti-*

Non consentiunt Aduersarij quando Ecclesia defecit.

continent, quàm puram & natiuam Scripturæ Interpretationem. Sic Caluinus. Lutherus verò in Comitijs Vormatien: Anno 1522. Catholicam Ecclesiam errâsse, & defecisse, à tempore Concilij Constantien: asserit. At postmodùm in *Lib: de Seruo Arbitrio*, quasi oculatior, agnouit etiam omnes primorum sæculorum Patres cæcutisse. Porrò in Colloquijs, *cap: 2. de Patribus:* Tertulliani, & Cypriani ætate, inquit, degenerauit Ecclesia, imò ipsis Apostolis adhuc viuentibus. Sic ipsa inconstantia illorum, in assignando tempore, quo Ecclesia defecit, arguit illos de calumniâ.

Præterquam quòd si Ecclesia antiqua defecit, & hæc noua orta est, deberent ostendere (sicut nos ostendimus in illorum sectâ) Authorem primum huius nouæ Ecclesiæ, à quo vtique, (sicut ipsi, & omnes aliæ quotquot erant hæreses,) denominaretur: locum item vbi cæpit; eos præterea qui illā primò impugnârunt; quemadmodum, quandocunque noui in Ecclesia errores comparuerunt, semper aliqui zelosi Doctores illis sese opposuerunt: & plura alia quæ optimè prosequitur Bellarm: *L. 4. de Not: Eccl. c. 5.*

Cæterùm, non sine graui iniuriâ Christi dicitur, quòd aliquando Ecclesia sua defecerit, & de toto Orbe perierit; & quòd primùm Sectarij eam suscitârint inter se, atq; in suo angulo nunc retineant. Similem iniuriam S. Augustinus in *Psalmum 85.* magna cum emphasi, contra Donatistas, exaggerat: *Christo*, inquit, *maledicunt, qui dicunt, quia perijt Ecclesia de toto Orbe terrarum & remansit in solâ Africâ. Si diceres illi: perdes villam tuam: forte non à te temperaret manum: & dicis Christum perdidisse hæreditatem suam, redemptam*

Grauis Christo iniuria, quod dicatur Ecclesia sua defecisse, vel ad vnum angulū orbis redacta.

ptam Sanguine suo. Quam autem faciat iniuriam, videte Fratres. Scriptura dicit: In latâ gente, gloria Regis: in diminutione populi, contritio Principis. Ergò hanc iniuriam facis Christo, vt dicas populum suum ad istam exiguitatem diminutum. Ideo natus es, ideo Christianum te dicis, vt inuideas gloriæ Christi. Agnosce Regem tuum, da illi gloriam. Da illi latam gentem. Quam latam gentem dabo, inquis? Noli ex tuo corde dare, & rectè dabis. Vnde do, inquies? Ecce hinc da. Omnes gentes quotquot fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine. Dic hoc, confitere hoc, & dedisti latam gentem. Et in Psal: 21. ad illud: *In Ecclesia magna confitebor tibi. Ecclesia magna quid est, Fratres? Nunquid exigua pars orbis terrarum Ecclesia magna est? Ecclesia magna, Orbis totus est. &c. Modò si quis velit Christo contradicere. &c. Quæ est Ecclesia magna? Ad partem Aphricæ remansisse, est Ecclesia magna? Totum mundum perdidisti. Fudisti sanguinem pro toto: sed inuasorem passus es. &c. In sacco conferebat pretium nostrum, percussus est lancea, fossus est saccus, & manauit pretium orbis terrarum. Quid mihi dicis ô Hæretice? Non est pretium orbis terrarum, si Aphrica sola redempta est. Non audes dicere. Non totus orbis redemptus est: sed perijt. Quem inuasorem passus est Christus, vt perderet rem suam. &c. Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, vniuersi fines terræ dixit, ô Hæretice, vniuersi dixit. Quâ exiturus vt euadas, quæstionem? non habes quâ exeas: sed habes quo intres.* Hæc S. Augustinus.

Prou: 14.

Caluinus ad hominem refutatur. Sed & ipse Caluinus in Colloquio Frankentelensi, Anabaptistas in simili asserto, sic aggreditur: *Si vos Ecclesia estis, sequitur, Deum sine populo fuisse vsq; ad annum 1524: in quo*

Carolsta-

Carolstadius doctrina vestra fundamenta posuit. Idem contra ipsum Caluinum replicandum: si verum est, quòd dicit Ecclesiam ante sua tempora perijsse, & se primùm illam reuocâsse ac reformâsse; sequitur ergò, Deum vsq; ad sua tempora, sine populo fuisse. Si in diminutione populi, tantam Christo fieri iniuriam asserit S. Augustinus, quid in totali extinctione sui populi?

Sed remanserat aliquid Ecclesiæ in Papatu, ait Caluinus Epist: ad Farell: data A. 1549. *Sic Papistis detrahimus*, inquit, *Ecclesiæ nomen, vt tamen illic quasdam manere reliquias Ecclesiæ non negemus.* Et Epist: ad Zosymum Ital: *Rationibus solidis me probasse puto, Ecclesiam licet semiruptam, imò si lubet, diruptam ac deformem, aliquam tamen manere in Papatu.* *Aliquid Ecclesiæ in Papatu agnoscit Caluinus.* At in eo quoque multùm errat, quod aliquid, tãtùm Ecclesiæ, & non totam Ecclesiam in Papatu remansisse dicit: vbi enim aliquid Ecclesiæ, ibi tota est Ecclesia Christi: ipsa enim est illa tunica inconsutilis, vt suprà visum est, quam partiri non licet. *Vbi aliquid Ecclesiæ, ibi tota Ecclesia.* Insuper nondum dat integram gloriam Christo, *in gente latâ*, sed dum restringit, *in diminutione populi*, iniuriam potiùs infert.

Auget & ignominiam Christo, & Sponsæ eius Ecclesiæ, dum eam laceram, disruptam, imò & corruptam, ac constupratam, Christo Sponso suo præsentat. His enim Epithetis non solùm hîc à Caluino, sed & ab alijs Aduersarijs plerumq; Ecclesia decoratur.

Eleganter admodùm S. Hieronymus sic iniuriatam Ecclesiam, cum Sectarijs expostulantem introducit, *Lib: adu: Luciferian:* supponens, quòd omnes Heresiarchæ in

 gremio

gremio Ecclesiæ renati sint, & ex illa exeuntes, talibus eam probris postmodùm incessunt: *Si te*, inquit, *nomine Ecclesia, Angelus aliquis, aut Apostolus rebaptisauit, non infringo quod sequeris; si verò in sinu meo natus es si uberum meorum lacte nutritus, aduersum me gladium leuas: redde quod dedi: & esto aliter, si potes, Christianus. Meretrix sum? sed tamen Mater tua sum. Non seruo vnius thori castitatem? talis eram quando conceptus es.* En quomodo secundum S. Hieronymum, contumelia defectionis à Christo, quâ afficitur Ecclesia à Sectarijs, redundat in illos, sicut ignominia illegitimi thori in Filios, & Filiorum Filios. Nec minùs egregiè in eandem rem S. Augustinus L. 3. contra Iulian: *Si*, inquit, *constuprauerunt Ecclesiam Manichæi, dic mihi Iuliane, quæ te peperit? vtrum te casta, an verò meretrix enixa est? An vt dogmata Pelagiana defendas, coniugis Christi & Matris tuæ viscera, instinctu nefario, non erroris, sed furoris infamas.* Quod quidem etiam nunc immediatè ipsos modernarum Sectarum Authores tangit: mediatè verò, ipsos asseclas illorum.

Contra Apostatas ab Ecclesia, pulcher S. Hieronymi discursus.

Nec iuuat quod dicunt Aduersarij, semper aliquam veram Ecclesiam in aliquibus remansisse, licet occultis: scilicet iustis & prædestinatis: nonnunquam etiam per aliquos, qui Papæ contradixerant, in publico manifestatam fuisse: sicut per Ioannem Wicleph, Ioannem Hus, Hieronymum Pragensem, & postmodùm Lutherum in Germaniâ, Zwinglium & Oecolampadium in Heluetiâ, Sauanorollam in Italiâ, Caluinum & Farellum in Galliâ, Bucerum in Angliâ, Knoxum & Buchananum, in Scotiâ; ita Beza in Iconibus. At necdum satisfecit S. Augustino, dum Christi

Vanū effugiū ad-

Christi Ecclesiam non solùm ad angulos, sed etiam ad angulos occultos reuocat: contra id quod suprà *num: 3.* ostensum est, Ecclesiam Christi esse visibilem, & semper externâ fidei Confessione, Sacramentorum communione & administratione, &c. conspicuam: ipsis quoq; temporibus Antichristi, maximis persecutionibus non obscurandam, sed magis gloriosis Martyrijs illustrandam. Ad hæc frustrà illi Ecclesiam Christi visibilem, per tempora, constituisse dicuntur: qui ex eo solo inter membra veræ Ecclesiæ recensentur, quòd Papæ contradixerint, cùm & secum ipsi hostiliter decertauerint, & longè diuersis dogmatibus inter se distare deprehensi fuerint: quorum neutrum, scilicet, & cum Capite Ecclesiæ, & mutua inuicem dissensio, fert Vnitas; verus Ecclesiæ veræ character; vt ex superioribus patet. *aduersariorum.*

Et quidem in speciali loquendo, Ioannem Hus, & Hieronymum Pragensem, eius socium, immeritò Aduersarij suis inserunt Castris. Multa enim dogmata ipsis contraria tenuit, vt videre est apud Gaulter: in Chronologia, in Hæresibus 15. sæculi: *Cap: 1.* de Ioanne Hus. Et si non esset aliud, hoc vnicum sufficeret, quòd ille Missas, more Catholicorum, non modò recipiebat, sed etiam ipse celebrabat; etiam tempore suæ hæresis. Et Purgatorium, ac Suffragia pro Defunctis, admittebat. De quo alibi clariùs indicaui. *Ad quos Aduersarij suam reuocant Ecclesiã, non sunt de Castris illorum.* *In Animaduersi. 15.*

Quantùm ad alios deinde: Luthero Zwinglius est Apostata, trahens certò ad tartara Sectarios suos; imò ipse Diabolus. Videatur in *Assert: 27. contra articulos Louan.* Lutherus vicissim Zwinglio seductor, & impostor, ipso Marcione deterior. in *Resp: ad Confess: Luth.* Et in *Resp ad Luth: L. de Sa-* *Alij sibi ipsis aduersantur.*

de Sacram. Sic: Caluinus Lutheranorum doctrinam pestilentem esse, ac morte dignam; Lutherani vicissim Caluinistarum errores flammis expiandos pronunciant. Plura de his ipsorum dissensionibus videri possunt apud Florimundum, *de Orig: Hæres.* præsertim *Lib: 2. cap; 15. & Lib: 5. cap: 8.* & sæpè aliâs.

Roma quomodo Babylon vocata: & quando? 2. Imputatur Catholicis, quòd Ecclesia illorum non sit Sancta, sed eo ipso quo Romana, Babylonica: vt vocatur à Tertulliano, *L. 3. adu: Marcion.* & à S. Hieronymo ad *Algas. q. 11.* In quâ etiam multa crimina reperiuntur, quæ cum sanctitate stare non possunt. Cùm tamen Roma, non quæ Christo nomen dedit, sed quæ idolis adhuc seruiebat, & quatenus antea erat Ethnica, & omnium errorum Magistra & officina, vocetur à Sanctis Babylon. Hinc & ipse S. Hieronymus, *L. 2. contra Iouinian:* testatur, eandem Romam, scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delesse. Quantùm verò ad crimina, quæ in Ecclesiâ Catholicâ reperiri dicũtur, dabitur in 3. Actione satisfactio.

Vindicantur miracula, quæ fiunt in Ecclesia. 3. Imputatur Catholicis, quòd miraculis, & ijs plerumq; falsis, imponant fidelibus: si quidem etiam nonnulli Ethnici leguntur quædam fecisse miracula: Et Antichristus plura facturus noscitur. Et S. August: *de verâ Relig: c. 24.* dicit in Ecclesiâ miracula cessasse. Cùm tamen Catholici non fictis, sed veris miraculis, fidem suam probent & ostendant: nec miracula, sed frequentiam illorum, qualis fuit antè, doceat S. Augustinus cessasse; prout *L. 1. Retract: c. 13.* se declarat. Vbi etiam refert, quomodo Mediolani ad corpora

pora Martyrum, ſuo tempore Cœcus illuminatus fuerit. Et *L.2. de Ciu: Dei cap: 8.* adduxit, contra Ethnicos, miracula ad Reliquias Martyrũ recenter facta. Si verò ipſi quoq; Ethnici, dicuntur aliqua feciſſe miracula, illa non miracula, ſed mira quædã fuerunt, arte Dæmonũ facta; vel ſecundum apparentiam tantùm, per præſtigia oculos deludentia. Idẽ dicendum de Antichriſto: Et colligitur ex illo loco Apoſtoli, 2. Theſ: 2. *Cuius aduentus ſecundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus.* *Ethnicorum, & Antichristi miracula, qualia?*

Nec valet, ſimilia miraculis Eccleſiæ Catholicæ imputare, quòd nimirum fiant virtute Diaboli: ſecundum quod etiam ante imputauerunt Iudæi Chriſti miraculis; & Pagani miraculis Martyrum; & Ariani, Eunomiani, Vigilantiani, miraculis Catholicorum illius temporis, teſte S. Ambroſio, *Ser: de SS. Geruaſ: & Prot.* & S. Hieronymo, *contra Vigilant.* Sicut enim miracula Sanctitatem comprobant; ita viciſsim ex vitæ ſanctitate, & probitate, colligitur quoque miraculorum veritas: quæ multò diligentiori ſcrutinio, quàm exiſtimant Aduerſarij, notum autem in Curiâ Romanâ, examinantur in Eccleſiâ Catholicâ, & rigidiſsimè admittuntur. *Miracula, & ſanctitas, ſibi inuicẽ ſuffragantur.*

4. Imputatur Catholicis, quòd velint ſuam Eccleſiam eſſe Catholicã, cùm tamen illam ad Romanã alligent: & dicunt, quòd illa conſenſio Catholicorum, quæ eſt per orbem, ſit potiùs *Diabolica conſpiratio.* Ita Caluin: *in Ioan: 10.* Cùm tamen non ſic Romæ, vel Romanæ Eccleſiæ, Catholicam Eccleſiam alligemus, vt extra illam non ſit ipſa, vel *Quomodo eccleſia Catholica Romana.*

 veri e-

veri eius Pastores & Episcopi; sed quia illa est Caput, & omnes aliæ ad illam referuntur tanquam ad Matricem. Congregatio autem in nomine Christi facta, minùs Christianè vocatur, *conspiratio Diabolica.*

Schismata in Ecclesia nõ impediũt Apostolicam successionẽ.

5. Imputatur, quòd Ecclesia Catholica amiserit Successionem Apostolicam, per tot Schismata quæ fuerunt in ipsa, & tot Antipapas. Cùm tamen etiam tertio, quarto, & quinto sæculo, ante S. Augustinum fuerint Schismata similia: Tertio quidem sæculo, Nouatianus Presbyter Romanus, operâ Nouati Hæresiarchæ, Cornelio legitimè electo, fuit oppositus, circa A. D. 254. Quarto sæculo, Vrsicinus contra Damasum Antipapa fuit proclamatus, circa A. D. 369. Quinto sæculo, Eulalius quidam, post mortem Zosymi Papæ Cathedram Petri occupauit, tanquam intrusus, non electus, circa A. D. 419. De quibus videatur nouissimè Gaulter: in suâ Chronol. Et tamen his non obstantibus S. Augustinus, ante cuius, vt dixi, tempora, hæc Schismata contigerunt; agnoscit, & probat in Ecclesiâ veram Successionem Apostolicã, vt visum est sup: §. *2. n. 12.* Quomodo verò ex huiusmodi Schismatibus non interrumpatur series legitimæ Successionis Apostolicæ in Ecclesiâ, videndus, præter alios, Grauina *L. 4. Præscript: Contr: 4. de Not: Eccl: art: vlt: diffic: 2.*

Reliquæ Imputationes, & earum dissolutiones, quæ hoc Caput concernunt, alibi ex alijs occasionibus adferuntur.

Antithe-

Antitheses. §. 4.

Ex his itaq; colligitur, in quibus Partes Contradictoriè dissentiunt.

1. CATHOLICI docent, veram Christi Ecclesiam esse visibilem semper, & comprehendentem iustos, & peccatores, citra peccatum infidelitatis. &c. *Dissensus Partium.*

CALVINISTÆ docent, veram Christi Ecclesiam ex solis iustis, siue prædestinatis, soli Deo notis, constare, tanquam veris & viuis membris: peccatores verò, cùm illorum vnio, interna cum Christo non constet, habendos quidem esse pro membris, quamdiu in externa professione fidei saluificæ perseuerant: nullo modo tamen esse vera mēbra. In quo (cùm non satis clarè se explicent) si non intendunt peccatores excludere omninò à Corpore veræ Ecclesiæ Christi, sed potiùs includi, iuxta modum suprà § *2. n. 1.* expositum, consentiunt cum Catholicis. Si verò penitùs excludunt, & tantùm habendos esse, non verò esse aliquo modo, de Corpore Ecclesiæ adstruant; planè dissentiunt.

2. CATHOLICI docent, Regimen Ecclesiæ esse Monarchicum, etiam respectu Supremi in terris Christi Vicarij, & non solùm respectu Christi.

CALVINISTÆ docent, Regimen Ecclesiasticum, respectu Prælatorum in terris, esse Aristocraticum: nullo modò Monarchicum; nisi respectu soliùs Christi.

3. CATHOLICI docent, veram Ecclesiam visibilem, non posse errare in doctrinâ fidei.

CALVINISTÆ *n. 8.* ambiguè loquuntur: *Vniuersali toto orbe Ecclesia negamus vnquam accidisse, vt à saluificâ fide, tota deficiat.* Vel enim sensus est, quòd tota Ecclesia non deficit, esto aliqui excidant. Vel est sensus, quòd tota deficiat, esto aliqui semper reperiantur, in quibus vera fides remaneat. Si primum, conueniunt; si secundum, quod magis conforme illorum principijs, & Caluini sententiæ (vt suprà visum est) differunt.

4. CATHOLICI docent, Romanam, in speciali, Ecclesiam, nunquam à fide deficere.

CALVINISTÆ docent, nulli particulari Ecclesiæ, atq; adeò nec Romanæ quidem, hoc priuilegium concessum, vt in fide nunquam possit errare.

5. CATHOLICI assignant veras Notas Ecclesiæ veræ, quod sit Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica: alias quas adducunt Aduersarij, insufficientes censent.

CALVINISTÆ has potiùs suas allegant, omissis illis quas Catholici adducunt.

6. CATHOLICI docent, eos qui vel in vno dogmate fidei, etiam minimo, scientes volentes dissentiunt, nec habere veram fidem, nec pertinere ad Ecclesiam.

CALVINISTÆ docent, eos qui in fundamentalibus conueniunt, etiamsi in alijs dissentiant, ab Ecclesiâ verâ, & fide, non esse excludendos.

CAPVT

CAPVT III.

DE CHRISTO, & eius in terris VICARIO.

Propositiones Partis vtriusq;. §. 1.

CATHOLICORVM.

1. CHRISTVS Dominus ita est Verus, & vnicus Mediator Dei, & hominum, vt tamen sine vllo præiudicio officij Mediatoris, etiam Sancti in cælo pro nobis intercedant apud Deum; atq; adeò à nobis sint inuocandi.

2. CHRISTVS Dominus solus est Caput Principale, & cum potestate Excellentiæ, totius Ecclesiæ: Sũmus Pontifex verò Romanus, est etiam totius Ecclesiæ caput Visibile, sed Ministeriale; cum plenitudine potestatis à Christo, cuius est in terris Vicarius.

CALVINISTARVM.

1. CHRISTVS Dominus Vnicus, eòq; solus est Mediator Dei, & hominum, nullusq; alius Sanctorum: ac proinde nec inuocandi sunt à nobis, vt intercessores. *Cap: 2. n. 2. 3. & Cap: 5. Corol: 3.*

2. Nullus Episcopus, aut Pontifex in terris, vocandus est Caput Ecclesiæ, ceu Dei, Christique Vicarius, potestatis plenitudinem habens à Christo. *Cap: 2. n. 4.*

Declaratio Propositionum. §. 2.

1. CHRISTVS Dominus multipliciter Mediator dicitur, sed potissimùm duobus modis. Vno modo, orando, & sup- *Quomodo Christus D. Mediator.*

& supplicando Patri pro nobis: secundum quod *Rom: 8.* dicitur *interpellare pro nobis.* & *1. Ioan: 2.* vocatur *Aduocatus* noster. Alio modo, soluendo, & satisfaciendo pro nobis: secundum quod *1. Tim: 2.* dicitur *vnus, Mediator Dei, & hominum, Homo,* CHRISTVS IESVS. & mox subditur declarando, quâ ratione sit Mediator. *Qui dedit semetipsum pro multis.* Et hoc modo proprijssimè dicitur Christus Mediator noster, & nullus alius.

2. Cùm in Christo sint duæ naturæ, Diuina, & Humana; vnum verò suppositum in vtrâque naturâ subsistens; & hoc quidem suarum operationũ vocetur principiũ, *Quod* operatur. Natura verò principium *Quo* operatur: si attendatur principium Mediatoris *Quod*: illud esse Catholici asserunt, Deum simul & Hominem. Si verò attendatur principium *Quo*: illud esse naturam humanam in Diuino supposito, non autem naturam Diuinam affirmant. At Caluinus (quod tamen non exprimunt in suis propositionibus Caluinistæ) in duabus Epistolis ad Polonos, docuit Christum exercere officium Mediatoris, secundum vtramq; naturam, Diuinam, & Humanam; quod optimè impugnat Bellarminus, *L. 5. de Christo, Cap: 3. & seq.*

Sancti, sine præiudicio Christi, mediatores.

3. CHRISTVS Dominus dicitur vnicus Mediator Dei & hominum, & tamẽ sine Contradictione, & sine præiudicio Mediatoris, alios quoq; Sanctos, admittunt Catholici Mediatores: Nam CHRISTVS Dominus vnicus est Principalis Mediator, qui nullo indigeat Mediatore, alij verò Sancti secundarij sunt Mediatores, & subordinati, qui etiam

etiam ipsi aliquando indiguerunt Mediatore; & modò quoq; quicquid nobis à Deo impetrant, per Christũ impetrant, & in virtute Christi impetrant. Vnde & quidquid illi impetrant, in Christum vnicum tandem resoluitur totum, à quo omnem vim impetrandi sumunt.

Deinde, quia Christus Dominus non solùm est Mediator, pro nobis deprecando, sed etiam pro nobis condignum pretium & satisfactionem, tanquam Redemptor, ex proprijs exoluendo: & in hoc sensu ipse est solus & vnicus Mediator: Sancti verò non sunt Mediatores nostri, quasi ex proprijs nos reconciliando, aut redimendo, sed pro nobis deprecando, & fructum Redemptionis, seu applicationem illius, nobis impetrando.

Sic itaq; Christus sine contradictione vocatur vnicus Mediator, etiamsi Sancti adhibeantur quoq; Mediatores; imò & sine præiudicio, cùm per hoc, tantùm abest quòd officio Mediatoris Christi derogetur; quin primæ partes & potissimæ Mediatoris illi deferantur: Sanctis verò posteriores, & non nisi dependenter ab illo.

Ampliùs verò constat nullam inde fieri Christo iniuriam, ex eo quòd Sancti in cælis adhibeantur à nobis Mediatores: alioqui fieret etiam illi iniuria, si nos ipsi pro nobis oremus; vel aliquos ex viuentibus, vt pro nobis orent, postulemus: cùm tamen id passim vtrinq; sine Christi præiudicio fieri admittatur.

Hinc etiam Lutherani in porrectis suis Propositionibus, *cap: 20. n. 3.* non abhorrent iam assertiuè dicere, quod alioqui in suis Symbolicis libellis dubitatiuè dixerunt: Sanctos pro no-

pro nobis in cælis orare in genere. Ex quo censent illos officium Mediatoris sine præiudicio Christi exercere. Quo supposito Prudens Lector iudicet, an deroget officio Mediatoris Christi, si, quod Sancti vltrò præstant, à nobis quoq; rogati, & inuocati, præstiterint.

Caput duobus modis influit in membra.

4. CHRISTVS Dominus dicitur Caput Ecclesiæ, per Analogiam, siue similitudinem ad Caput Corporis: quod duplici modò in alia corporis membra influit. Vno modo, intrinseco quodam influxu; prout scilicet virtus motiua & sensitiua, à capite deriuatur ad cætera membra. Alio modo, secundum quandam exteriorem gubernationem; prout scilicet secundum visum, & alios sensus qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Ita & Christus Dominus dicitur Caput Ecclesiæ, duobus modis: Vno modo, secundum interiorem influxum gratiæ: Sic solus ille & Principalis, ac secundum potestatem excellentiæ, est Caput Ecclesiæ totius: quia solus est Author Principalis gratiæ, & solus habet virtutem iustificandi. Alio modo, secundum externam gubernationem Ecclesiæ: Sic præter Christum conuenit etiam alijs dici, & esse capita Ecclesiæ, iuxta illud Amos 6. *Optimates Capita populorum.*

Sic & Christus Dominus in Ecclesiam.

Differenter Christus, & alij, dicantur Caput Ecclesiæ.

Differenter tamen à Christo, ex duplici ratione: primò, quia Christus Caput est omnium, secundum omnem locum, & tempus, & statum. Alij autem homines dicuntur Capita, sed vel secundum specialia tantùm loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum: vel secundum determinatũ tempus, sicut Papa est Caput totius Ecclesiæ; sed tempore sui

re sui Pontificatus duntaxat: vel secundum determinatum statum, sicut omnes prædicti, sunt capita eorum solùm, qui sunt in statu viæ.

Rursum diuersa est ratio Christi, & aliorum: quia Christus est Caput Ecclesiæ, propriâ virtute & authoritate: alij verò dicuntur Capita, in quantùm vicem gerunt Christi; iuxta illud 2. Cor: 2. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos, in persona Christi.* Et iuxta illud 2. Cor: 5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Sic itaq; Summus Pontifex, vt Christi Vicarius (prout à S. Bernardo *L. 2. de Consid:* vocatur) est, & dicitur à nobis, Caput totius Ecclesiæ Ministeriale: quemadmodũ etiã à Concilio Chalcedonensi, in Epistolâ ad Leonem, appellatur. *Summus Pontifex Caput Ecclesiæ.*

5. Vocatur item Pontifex Romanus, Caput Visibile; quia visibili Ecclesiæ, conuenit habere Caput visibile: & quia Corpus visibile, visibili & externâ administratione est regendum. Vocatur item Summus: quia tota gubernatio Ecclesiæ, per plures Prælatos Particulares, ad vnum tandem supremum est reuocanda: sicut reuocabatur olim, fatente ipso etiam Caluino, *Instit: L. 4. c. 6.* §. 2. in Ecclesiâ Veteris Testamenti; quæ fuit figura Ecclesiæ Noui Testamenti. Instantias Caluini vide solutas apud Bellarminum, *Lib: 4. de Rom: Pont: c. 9.* *Summus Pontifex cur visibile Caput.*

6. Dicitur deniq; Romanus Pontifex, Caput totius Ecclesiæ, cum plenitudine potestatis: Data est enim illi absoluta, & non restricta potestas, in personâ S. Petri, cui in Cathedra Romana succedit, illis verbis Matth: 16. *Tibi dabo* *Papæ potestas.*

claues regni cælorum: & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quod promissum expletum fuit *Ioan: 21.* vbi eidem Petro dicitur à Christo: *Pasce oues meas.* Quibus verbis nonnisi suprema quædam potestas Petri exprimitur, eaq; clarè, & expressè, S. Petro singulariter collata, attento etiam contextu literæ, & præcedenti singulari S. Petri, illic confessione, hîc examine; vt, nisi magnâ violentiâ detorqueatur litera, ad aliũ sensum nõ possit reuocari. Hinc communiter SS. Patres eam prærogatiuã Petri, suis quoq; Successoribus, (neq; enim claues traditæ Petro, cum Petro sunt sepultæ) attribuunt: Quæ verò in contrarium allegantur, sufficienter soluuntur ab eodem Bellarmino, *Lib. 1. de Summo Pontifice, c. 12. & sequentibus.*

Depuratio ab Imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

1. IMputatur Catholicis, quasi præiudicent Christo, & officium Mediatoris ipsi præripiant, atq; ad Sanctos transferant: quos postposito Christo, velut non sufficiente nobis succurrere, interponunt ad Deum intercessores, ad eosq; in suis necessitatibus recurrunt. Illosq; insuper Mediatores suæ Redemptionis constituunt. Falsitas huius Imputationis, ex declarationibus suprà allatis manifestè constat: Semper enim Catholici in officio Mediatoris primum & principem locum deferunt Christo: Sanctis verò nonnisi secundarium, & in Virtute Christi, & cum subordinatione ad illum:

ad illum: consequenter absq; omni præiudicio & derogatione Christi; imò maiori cum ipsius honore. Neque causam Redemptionis nostræ, factæ per Christum, vlli vnquam Sanctorum tribuunt, sed solùm effectum Redemptionis & Passionis Christi, per Sanctorum Suffragia, sibi applicari volunt, & postulant. *Sanctos non vocant Redéptores, Catholici.*

2. Imputatur Catholicis, quòd Summus Pontifex, quem habent pro Capite suæ Ecclesiæ, sit Antichristus. Hæc calumnia ex odio potiùs, & crassâ, ac ridiculâ magis quàm refutandâ ignorantiâ, absq; ratione aliquâ, ab Aduersarijs de Summo Pontifice confingitur. Certè Antichristus palàm Christi hostem se esse profitebitur, & supra Deum seipsum extollet. Summus Pontifex verò, Christi Ministrum se profitetur, & illi subest. *Vide Animadu: cap: 8.*

3. Imputatur Catholicis, quasi ab ipsis Summus Pontifex adoretur vt Deus. Cùm tamen Catholici Summum Pontificem venerentur quidem vt Christi Vicarium in terris, & locum ac personam Christi sustinentem; non tamen adorent vt ipsum Deum: nec Deum substantiuè appellant; licet ab aliquibus quandoq; denominatiuè sic appelletur; more vtiq; & phrasi vsitatâ Scripturæ, aliquos in excellenti dignitate constitutos, Deos appellantis.

4. Imputatur: quasi Summus Pontifex ex plenitudine potestatis omnia pro arbitrio, & ad libitum, tam in Spiritualibus quàm in temporalibus, possit disponere; & de facto disponat: dispensando in votis: absoluendo à legibus & iuramentis, quoscunq; & quandocunq; sibi placuerit: instituendo

Potestas Spiritualis, & potestas temporalis Papæ, qualis?

tuendo & mutando Sacramenta: ordinando Sacrificia: In temporalibus similiter Reges ad suum placitum deijciendo: Regna transferendo. &c. Cùm tamen Summo Pontifici non tribuatur eiusmodi facultas ad libitum, & ad destructionem, sed ad ædificationem. Potest quidem facultate sibi collatâ in illis generalissimis verbis: *Quodcunq; ligaueris, quodcunq; solueris in terris; erit ligatum, erit solutum in cælis.* Potest inquam, vi huius facultatis dispensare in votis, vel absoluere ab iuramentis: sed nonnisi legitimâ causâ, & necessitate interueniente; alioquin reus foret coram Deo de abusu potestatis. Potest item Ritus aliquos citra substantiam Sacramenti, vel Sacrificij, pro maiori decentiâ instituere; vel ab Apostolis institutos, declarare quâ tales, & præcipere seruandos, vel ex rationabili causâ mutare. At quòd circa substantiam Sacramentorum, aut Sacrificij aliquid disponat, id planè in sententia Catholicorum, excedit illius facultatem, & soli Christo, secundum potestatem excellentiæ competit. In illis verò temporalibus non habet Summus Pontifex potestatem directam, sed tantùm indirectam, in eo vnico & præciso casu, quando id vera necessitas Ecclesiæ omninò requireret, pro lucrando insigni aliquo bono Spirituali animarũ, vel pro notabili aliquo malo auertendo ab Ecclesiâ.

5. Imputatur: quasi Pontifex non solum in terris, sed etiam in cælis, & infernis, asseratur habere potestatem: ibi Canonizando Sanctos: inde, saltem ex Purgatorio, liberando, vel alijs liberare committendo, defunctorum animas.

Quomodo Papa

Cùm tamen Pontifex Canonizando Sanctos, non exerceat vllam

vllam Iurisdictionem in cælo, sed tantum in terris declaret fidelibus sibi subditis, quinam ab illis pro veris Sanctis sint habendi, & publico cultu colendi: Animas quoq; ex Purgatorio, non potestate alicuius Iurisdictionis, sed per modum suffragij liberet, vel per alios liberari concedat. *Canonizet Sanctos, & è Purgatorio animas liberet.*

PRO PARTE CALVINISTARVM.

IPsi quoq; Caluinistæ queruntur, *cap.: 3. n. 3.* imputari sibi: quasi doceant Christum aliquando peccasse: aut in Cruce desperasse: à quâ blasphemiâ toto animo dicunt se abhorrere: Cæterùm, imputationis huius occasionem sumpserunt Catholici Doctores ab ipso Caluino: qui *in Gal: 3. ℣. 13.* secutus Lutherũ, id tradit. Et rursum *Harm: in Matth: 26. ℣. 39.* de Christo loquens: *In primo voto*, inquit, *non apparet placida illa moderatio quam dixi: quia officio Mediatoris defungi, quantum in se est, renuit, ac detrectat.* Et *Inst: L. 2. c. 16. §. 12.* dicit Christum fuisse *inquinatum affectu vitioso, obstupefactum, caligine offusum, implicatas & perplexas, minimèq; rectum & æquabilem cursum tenentes preces fundentem, alternis votis quasi vacillantem: votum subitò elapsum castigantem: præsenti cælestis decreti memoriâ priuatum: non reputantem se hac lege missum esse humani generis Redemptorem; salutis nostræ oblitum, & perplexum.* Hæc porrò & his similia passim condemnat Caluinus in alijs hominibus peccati mortalis: præsertim *Instit: L. 2. c. 8. §. 58. & 59.* Idem Caluinus *Harm: in Matth: c. 26. ℣. 39.* de Christo loquens: *Nihil*, inquit, *erat spei, vt in rebus deploratis fieri solet.* Et *cap: 27. ℣. 46.* Dicit Christo, *elapsam fuisse desperationis vocem.* Et ibi- *Vnde imputatur Caluino, quòd dicat Christum peccasse, & desperasse.*

dem ℣. 47. *Sic videmus omni ex parte fuisse vexatum* (id est Christum) *vt desperatione obrutus, ab inuocando Deo abstineret; quod erat saluti renunciare.* Et rursum ibidem ℣. 57. *In Christi morte spectaculum desperationis plenum occurrit.* Vel ergò Caluinistæ resiliunt hac in parte à suo Magistro Caluino, (vt pleriq; eius discipuli ab initio fecerunt) eaq; dogmata, vt blasphemiam horrēdam toto animo detestantur. Vel si hæc admittunt, quæ dicit Caluinus, doceant ex his non colligi rationabiliter, imò vehementer, quæ sibi queruntur imputari.

Antitheses. §. 4.

Ex dictis colligitur in quo conueniant, & in quo dissentiant Partes.

NOn enim in hoc est Controuersia. An Christus Dominus, sit vnicus Redemptor, & vnicus ac Principalis Mediator Dei ac hominum?

Nec in eo. An Christus Dominus sit Caput Ecclesiæ Principale, & cum potestate Excellentiæ? In vtroq; enim horum conueniunt Catholici, & Caluinistæ.

Porrò tota Controuersia in his consistit, circa quæ Contradictoriè sibi aduersantur.

Dissensus Partium. 1. CATHOLICI docent, præter Christum posse adhiberi Sanctos Mediatores ad Deum, per modum Intercessorum: illosq; inuocandos esse.

CALVINISTÆ docent, præter Christum non posse adhiberi Sanctos Mediatores ad Deum, per modum Intercessorum: nec illos inuocandos esse. 2. CA-

2. CATHOLICI docent, præter Christum constituendum esse Caput visibile totius Ecclesiæ Summum Pontificem, ipsiusmet Christi Vicarium, cum plenitudine potestatis Ministerialis.

CALVINISTÆ docent, præter Christum nullum Pontificem in terris constituendum esse Caput visibile, seu Vicarium Christi, cum plenitudine potestatis.

CAPVT IV.

DE PECCATO.

Propositiones vtriusq; Partis. §. 1.

CATHOLICORVM.

1. PEccatum Originale, quod (Christo excepto, & valdè probabiliter exceptâ quoq; Sanctissimâ Virgine & Matre eius) omnes homines contrahunt, dicit priuationem Iustitiæ, vnà cum Concupiscentiâ: quæ quidē concupiscentia remanet etiam in Renatis; in quibus alioqui per Baptismum culpa penitus deletur, & reatus pœnæ æternæ dimittitur. Illa tamen Concupiscentia in Renatis, non dicitur verè & propriè peccatum.

2. Liberi Arbitrij Facultas nō est extincta, per lapsum Adæ, non solùm quoad Naturalia, & Ciuilia, sed neq; quoad Spiritualia, & Supernaturalia.

3. Peccatum Veniale, & Mortale ex naturâ suâ, & ab intrinseco distinguuntur: non autem ex eo, quod hoc impu-

tetur

tetur à Deo, illud verò non imputetur ad mortem æternam: vnde non omnia peccata, licet propriè dicta ex genere suo sunt mortalia.

CALVINISTARVM.

1. PEccatum Originale, quod (excepto Christo solo, & nullo modo Sanctissimâ Virgine Mariâ) omnes contrahunt, dicit carentiam Iustitiæ, & pronitatem ad malum, siue Concupiscentiam: quæ etiam in Renatis est verè & propriè peccatum: in quibus licet peccatum Originis, quoad culpam & reatum gratuitâ remissione deletur: illa tamen pronitas ad malum, remanet quam diu viuunt. *Cap: 3. n. 3. & 4.*

2. Liberum arbitrium habet facultatem post lapsum ad Naturalia, & Ciuilia: at nullam ad bonum Supernaturale, & Spirituale. *n. 6.*

3. Omne peccatum propriè dictum, naturâ suâ est mortale: & ex rigore Iustitiæ Dei natum inducere mortem æternam: fit autem in aliquo Mortale, dum illi imputatur, fit verò Veniale, dum non imputatur ei ad mortẽ. *n. 8. & 9.*

Declaratio Propositionum. §. 2.

Concupiscentia nõ est verè & propriè peccatum.

1. NOn negatur in Propositione primâ Catholicorũ, Concupiscentiam esse peccatum etiam in Renatis: Sed negatur esse propriè & verè peccatum: secundum doctrinam Concilij Tridentini, *Sess: 5. de Peccato Orig. Can: 5.*

Quod vt meliùs intelligatur: in peccato Originali, duo sunt con-

ſunt conſideranda: Vnum eſt, auerſio mentis à Deo, cum priuatione gratiæ, & maculâ animam fædante. Aliud eſt, peruerſio potentiarum inter ſe, ſiue rebellio partis inferioris contra ſuperiorem, cum pronitate ad malum. Illud primum eſt formale peccati originalis, hoc alterum eſt materiale: & vocatur Concupiſcentia, ſeu Fomes peccati: vtrúque verò ſimul, & potiſsimùm illud Formale, conſtituit verè & propriè peccatum. *In peccato originali duo conſideranda.*

Et quia in Renatis, illud Formale aſſerimus non remanere; ideò illud, quod dũtaxat remanet, Materiale, negam⁹ eſſe verè & propriè peccatũ, ſed tãtùm largo modo admittimus poſſe dici peccatũ; quomodo ſcilicet vitia naturæ, vel artis, v. g. cæcitatem oculi, aut improportionẽ artificiati, peccata vocamus: vel quo modo illud quod eſt cauſa, vel effectus peccati, peccatum poteſt vocari, non formaliter, ſed cauſaliter, ſiue effectiuè. Concupiſcentia ergò tribus modis poteſt vocari peccatum, ſecundum S. Auguſtinũ. Vno modo, vt eſt effectus peccati Originalis. Alio modo, vt eſt cauſa peccati Actualis, inclinans ad illud. Tertio modo, vt eſt in ſe peccatum, non propriè, ſed largo modo, & vniuerſali, quo malum, vel vitium quodcunq; poteſt vocari peccatum, licet verè & propriè non ſit peccatum. Porrò Caluiniſtæ Concupiſcentiam volunt eſſe verè & propriè peccatum; hoc eſt, vt explicant numero 6. *in quantum Legi Dei, & Spiritui gratiæ repugnat*: quod Catholicis non ſufficit ad rationem peccati verè & propriè dicti; cùm & ipſe homo non raro repugnet gratiæ Spiritus, & Legi Dei: & tamen non ideo poſsit dici verè & propriè peccatum. Hinc

distinguunt Catholici *Concupiscentiam Carnis*, & *Concupiscentiam Cordis:* Et Concupiscentiam quidem Carnis, dicunt, nullo modo esse verè & propriè peccatum, quamdiu Concupiscentia Cordis non accedit: id est Consensus: iuxta illud Iacob: 1. *Concupiscentia cùm conceperit*, id est allexerit: (iuxta explicationem S. August: L. 6. adu: Iul: c. 5.) *parit peccatum.* Sed de hoc fusiùs *Act: 2. Controu: 3.*

Liberum arbitrium ad supernaturalia non extinctum.

2. Facultatem Liberi Arbitrij per peccatum Originale, non dicimus extinctam, etiam in ordine ad bona Supernaturalia, & Spiritualia: non tamen asserimus ad huiusmodi bona Supernaturalia esse proximam & expeditam ex viribus naturæ, ac præcisâ gratiâ, & auxilio Supernaturali; sed tantùm remotam.

Peccatum veniale, & mortale, naturâ differunt.

3. Peccatum Veniale à Mortali dicitur naturâ suâ differre, si illud Veniale ex genere suo sit veniale: nam aliqua etiam peccata Venialia, ex genere suo sunt mortalia, sed propter leuitatem materiæ, vel non plenam aduertentiam, fiunt Venialia: aliqua è contra ex genere suo Venialia, fiunt per aliquas circumstantias mortalia: de quo videantur Authores *in 1. 2. S. Thomæ, circa q. 72.*

Depuratio ab Imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

Liberum arbitrium sine gratia non sufficit ad supernaturalia.

IMputatur Catholicis, quòd doceant, viribus naturæ posse liberum arbitrium obtinere Iustificationem, & alia supernaturalia bona. Cùm tamen Ecclesia Catholica totis viribus hucusq; impugnet Hæreticos hoc docentes: & nunquã agno-

agnoscat in libero arbitrio potentiã proximam & expeditã, sine auxilio supernaturali, ad aliquod bonũ Supernaturale.

PRO PARTE CALVINISTARVM.

CAluinistæ imputari sibi dicunt, *n. 2.* quasi doceant Deũ esse Authorem peccati: quod velut horrendam blasphemiam reijciunt ibidem. Cæterùm aliqui ex Doctoribus Catholicis hoc imputant Caluinistis eo fundamẽto, quòd Antesignanus illorum Caluinus, multa in hunc sensum nimis apertè videtur esse locutus: adeò vt aliqui etiam ex Discipulis, & intimis domesticis eius, sicut Castillio, *Lib: de Prouid.* Bullinger: *Dec: 3.* & pleriq; alij, non modò hac in re suo Magistro contradixerint, sed etiam vehementer illũ exagitauerint, & impugnauerint. *Quo fundamento imputatum Caluino, Deum esse Authorẽ peccati.*

Videndus est Caluinus specialiter *L. 1. Instit: c. 8.* §. *1.* vbi docet: quòd *ita sit opus Dei, incestus Absalonis, proditio Iudæ, vt Pauli Conuersio.* Et rursum §. 3. *Iam satis*, inquit, *apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum Authorem, quæ isti Censores,* (id est, Catholici Theologi) *volunt otioso tantùm eius permissu contingere.* Cùm ergò Theologi Catholici doceant, Deum ad materiale quidem peccati, siue entitatem illius Physicam concurrere positiuè: ad formale verò peccati; ipsam scilicet deformitatem, & malitiam, solùm se habere permissiuè: hinc manifestè colligitur, quòd Caluinus volens Deum etiam in eo esse Authorem, in quo Catholici non agnoscunt nisi permissorem; fecerit illum Authorem peccati, non pro materiali tantùm, sed etiam pro formali; siue secundum ipsam malitiam, & deformitatem. Quod *Deus ad materiale peccati positiuè, ad formale permissiuè se habet.*

tantò magis debent admittere Caluinistæ, quia eodem n. 2. in materia de Prouidentia Dei circa peccata, & supra ipsos peccatores, eadem planè se tenere, quæ plerique Romanæ Ecclesiæ Theologi profitentur: vel ergò hanc Imputationem à se remouendo, damnant Caluinum: vel doceant necessè est, quomodo his, & similibus dictis Caluini subscribendo, imputationi huic non succumbunt.

Antithefes. §. 4.

Ex dictis colligitur, in quibus Partes Contradictoriè sibi aduersentur.

NOn enim circa hoc est Controuersia: An sit de Fide, quod Beatissima Virgo immunis fuerit à peccato Originali: cùm neq; Ecclesia Catholica profiteatur id tanquã determinatum de Fide; sed ex pietate erga Dei Matrem, multis solidissimis rationibus, intra terminos probabilitatis, eam sententiam propugnat, quæ est in fauorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis.

Nec circa hoc est Controuersia: An remaneat in Renatis Concupiscentia, & eadem Concupiscentia vocetur aliquo modo Peccatũ? hoc enim etiã Catholici fatentur.

Nec circa hoc: An per gratiam Christi remittantur peccata? sed de modo quo remittuntur?

Nec circa hoc: An Mortalia, & Venialia peccata distinguantur? sed quomodo distinguantur?

Porrò in his est Contradictio.

1. Ca-

1. CATHOLICI tenent, non esse de Fide, quòd Beatissima Virgo sit concepta in peccato Originali. *Dissensus Partium.*

CALVINISTÆ tenent de Fide, quòd omnes (solo Christo excepto) atq; adeò ipsa etiam Beatissima Virgo, sit concepta cum peccato Originali.

2. CATHOLICI tenent, quòd Concupiscentia, quæ remanet in Renatis, non sit verè & propriè peccatum.

CALVINISTÆ tenent, quòd Concupiscentia, quæ remanet in Renatis, sit verè & propriè peccatum.

3. CATHOLICI tenent, quòd tam peccatum Originale, quàm alia peccata, sic remittuntur à Deo, vt verè culpa & macula tollatur ex anima; & non solùm inde, quia à Deo non imputantur, quibus remitti dicuntur.

CALVINISTÆ tenent, quòd peccatum Originale, sicut & alia peccata, ideò remittuntur, quia à Deo non imputantur.

4. CATHOLICI tenent, nõ omnia peccata ex genere suo, & ab intrinseco, esse Mortalia, sed pleraq; Venialia.

CALVINISTÆ tenent, omnia peccata ex naturâ suâ esse Mortalia, nullum Veniale, nisi Christi gratiâ non imputentur ad mortem.

CAPVT V.

De Gratia, Iustificatione, & Bonis Operibus.

Propositiones Vtriusq; Partis. §. 1.

CATHOLICORVM.

1. IVstificatio impij fit sine vllis proprijs eius meritis, per solam Christi gratiam : non tamen sine præuijs dispositionibus in Adultis, per fidem, spem, charitatem, pœnitentiam, aliosque motus, quibus homines peccatores Diuinâ gratiâ excitati, & adiuti, se quidem disponunt ad Iustificationem; at non promerentur illam.

2. Iustificatio hominis fit non per solam imputationem extrinsecam Iustitiæ Christi, sed per donum gratiæ inhærentis formaliter, iustificantis, & sanctificantis animã; consequenter remissio peccati non fit per solam non imputationem illius, sed per veram & propriam abolitionem, & sublationem omnis maculæ; vt suprà dictum est.

3 Bona opera hominis iustificati, facta ex dono gratiæ, sunt necessaria ad salutem, & meritoria ex condigno vitæ æternæ: de quibus tamen nulli iusto præsumendũ est.

4. Homo in hac vitâ potest cum auxilio gratiæ Diuinæ præcepta Dei perfectè implere, iuxta propriam viæ perfectionem.

5. Cum eodem auxilio gratiæ Dei, non modò præcepta, sed etiam Consilia Christi ad augmentum maioris perfectionis, potest implere, & opera supererogatoria, præcepta excedentia adijcere.

6. Cum eodem auxilio gratiæ Diuinæ, per bona opera sua potest Deo satisfacere pro suis peccatis, & obtinere remissionem culpæ temporalis, quæ post dimissam culpam remanet exoluenda.

7. Ne-

7. Nemo sine speciali reuelatione Dei, potest esse certus, eâ certitudine, cui falsum subesse non posit, quòd sit in gratiâ, seu quòd sit prædestinatus ad vitam æternam.

CALVINISTARVM.

1. IVstificatio impij fit per solam gratiam Christi, & per fidem, quæ promissionem Euangelij, quâ resipiscentibus remissio, & vita in Christo offertur, assensu practico, seu fiduciali amplectitur, & corde verè contrito sibi applicat: quæq; deinceps per charitatem est efficax. *C. 4. n. 1. Corol: 8.*

2. Eadem Iustificatio non fit solâ externâ iustitiæ Christi imputatione, absque vlla interna renouatione: Iustitia namq; Christi imputatur solis pœnitentibus, & viuâ fide in Christum credentibus, quâ corda illorum contrita à Spiritu S. viuificantur, ad ardentem erga Christum charitatem, & nouæ obedientiæ studium, excitantur, à prauis verò cupiditatibus mundantur: atq; ita iustitiam, & sanctitatem vitæ nouæ inchoant, & in dies perficiunt. *Corol: 7.*

3. Bona opera ad salutem omninò sunt necessaria cum fide; non tamen vt causæ Iustificationis; neq; vt meritoria salutis, aut vitæ æternæ ex condigno. Neq; in illis, sicut nec in iustitiâ inhærente, sic confidendum est, vt cum illis possit quis coram seuero Dei iudicio subsistere. *Corol: 9. & 7.*

4. Præcepta Christi non proprijs viribus, sed per gratiam Spiritus S. possunt & debent seruari, quamuis in hac vita non ita perfectè à quoquam seruentur, aut seruari posint, vt Legi Dei satisfaciamus, eamq; per omnia impleamus: sed vt

sed vt simul ex imperfectionis & infirmitatis propriæ sensu, variorum lapsuum, & delictorum veniam quotidie humiliter à Deo petere opus habeamus. *Corol: 10.*

5. Non potest aliquis Renatus in hac vitâ legem Dei ita perfectè implere, vt sine vllo peccato ex se, & suâ naturâ mortali viuat, multominùs vt opera supererogatoria, perfectionem legis transcendentia, adijciat. *Corol: 15.*

6. Non potest item aliquis Renatus, per bona opera, iustitiæ Dei, pro peccatis suis satisfacere.

7. Potest aliquis, absq; speciali reuelatione, ad certitudinem illam peruenire, quâ Spiritus S. testatur Spiritui suo, quòd sit Filius & Hæres Dei, cui testimonio non possit subesse falsum: licet fideles non debeant temerè de Gratia Dei præsumere; varijs quoq; angoribus, & dubitationibus, sæpè conflictentur: nec deniq; omnes qui Spiritum Dei iactant, verè illud testimonium habeant. *Corol: 16.*

Declarationes Propositionum. §. 2.

Iustificationis triplex acceptio.

1. IVstificatio quoad præsens, tripliciter potest accipi: Vno modo, pro illâ Iustificatione, quæ fit per pretiosum illud donum gratiæ sanctificantis, animæ infusum; quo secundum B. Petrum, ad consortiũ Diuinæ naturæ eleuamur, ad Dei amicitiam admittimur, imò & Filij Dei nominamur, & sumus; quo item fit remissio peccati, & reatus pœnæ æternæ; quo deniq; ius Beatæ hæreditatis, & vitæ æternæ acquiritur. Alio modo, accipitur Iustificatio pro quadam

2.Pet:1.

quadam Sanctificatione animæ, quæ ex varijs virtutibus consurgit, & coalescit: quarum etiam congeries, vulgò in scriptura vocatur *Iustitia*. Tertio modo, potest accipi Iustificatio in sensu quodam forensi: secundum quod iustus, siue iustificatus aliquis dicitur, qui alioqui reus, per sententiam tamen Iudicis absoluitur, aut declaratur iustus, & innocens, aut certè alieno beneficio, seu condonatione, suo exoneratur debito. Primo, & secundo modo, Iustitia est quid intrinsecum; tertio modo, est quid extrinsecum.

CATHOLICI ergò non negāt, imò maximè affirmant Christum Dominum esse primum, & principalem Authorem nostræ Iustificationis; suamq; Iustitiam nobis applicasse, & pro nobis Deo Patri obtulisse, ac debita nostra exsoluisse. Hinc Christus ab illis vocatur causa nostræ Iustificationis Effectiua, siue in genere Causæ Efficientis. Causam verò formalem, id est, in genere causæ formalis, Iustificationis nostræ ponunt, donum illud gratiæ habitualis in prima acceptione, quod itidem ex meritis Christi confertur, & infunditur animæ in suâ iustificatione, eiq; intrinsecè inhæret. Tunc demum, & illa tertia iustificatio consequitur, quæ in sanctitate virtutum & operum dicitur consistere.

Christus Dominus author iustificationis nostræ.

Formalis iustificatio per aliquid inhærens, non per extrinsecum.

CALVINISTÆ verò dicunt hominem iustificari formaliter iustitiâ Christi, non inhærente intrinsecè, sed imputatâ: Cum eâ verò iustificatione admittunt intrinsecam quoq; iustificationem, non in primâ illa, sed in secunda acceptione: quam volunt potiùs vocare Sanctificationem: eamq; dicunt consistere in habitu quodam intrinseco, cuius obiectum sit, quicquid verè bonum est, iustum, & sanctum:

Chamier: Tom: 3. l. 10. c. 1. & seq.

 quique

quiq; iustificatum hominem inclinet, vt deposito vitioso habitu, id quod secundum virtutem est, complectatur. Putantq; hanc Sanctificationem in præsenti vita posse subsistere cum peccato, vtique ex natura sua mortali; cùm apud ipsos non detur veniale ex suo genere.

2. Inter esse aliquid per imputationem, & esse per inhærentem aliquam qualitatem, est latum discrimen: illud enim est esse extrinsecè tale; hoc autem est, esse intrinsecè tale. Cùm ergò Catholici docent formaliter hominem iustificari, & consequi remissionem peccatorum per iustitiam inhærentem, & non per solam imputationem Iustitiæ Christi; vel per solam non imputationem peccati, ex Christi persolutione & redemptione copiosâ; volunt intelligere, hominem iustificari intrinsecè, & non solùm extrinsecè: imò hanc intrinsecam iustificationem dicunt infallibili nexu consequi, ad illã effectiuam Christi iustificationẽ.

Non enim possunt capere secundum Regulas rectæ & sanæ, ac vniuersaliter receptæ Philosophiæ, qualiter possit aliquid tale effici formaliter, in genere scilicet causæ formalis (de quali sermo est in præsenti) & non per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecum: cùm causa formalis sit ex propriâ ratione, causa intrinseca: ab extrinseco verò vt sic, non proueniat, nisi denominatio extrinseca. Nec illud possunt capere, quomodo Christus sit verè causa efficiens nostræ iustificationis, & remissionis peccatorum: & nullus per hoc positiuus effectus in nobis primò, & per se causetur, sed tantùm negatiuus, non imputatio scilicet peccati, vel tantùm extrinseca denominatio iustificati. Sed

Ad actiuam Iustificationẽ Christi consequitur effectiua iustitia inhærens.

Sed neq; secundum Regulas Theologicas possunt capere, quomodo DEVS, cuius *iudicium est in veritate*, non imputet, nec reputet esse peccatum, quod est reuerà in homine peccatum: sicut nec è contrà posset capi; quomodo Deus imputaret alicui peccatum, qui reuera illud non haberet. Nec illud item possunt capere, quomodo per illam Sanctificationem, quam admittunt, auferatur aliquod peccatum, & cum illâ posit alterum remanere peccatum; siquidem peccatum secundùm propriam & formalem rationem, nihil aliud est, quàm auersio à DEO: vnde ablato vno, & remanente altero, idem homo simul esset auersus, & non auersus à DEO. Nisi fortè dicas: Eo ipso quòd illi non imputatur illud quod remanet, auersionem à Deo non causare; sed magis consequenter diceres, auersionem quoque illam nòn imputari illi: alioquin, vbi tollis totaliter auersionem, frustra relinquis peccatum. *Rom: 2.*

Tenent itaq; Catholici, homini iustificato, non imputari peccatum, quia reuera non est; cùm per iustificationis gratiam sublatum sit ab illo, & ablutus sit penitus ab omni macula ipsius: ita vt primò, in sententia illorum, ordine naturæ præcedat vera & realis, per infusam ex meritis Christi gratiam, peccati, & maculæ eius expulsio, & abstersio, ac tunc demum subsequatur, non imputatio illius. *Non imputatio Dei supponit nõ esse.*

3. Cùm dicunt Catholici hominem iustificari iustitiâ inhærente, consequenter dicunt hanc iustitiã quâ formaliter iustificamur, esse aliquo modo nostram, nam ex quo nobis est data, & in nobis est, non potest non vocari nostra: *Quomodo iustitia dicitur nostra.*

Cæterùm ex pluribus capitibus non noſtra: quia nimirũ nõ debita naturæ, nec ex eius principijs fluens, nec ex meritis noſtris habita, ſed ex merâ liberalitate Chriſti eã infundentis, atq; ab eo pendens in fieri, eſſe, & conſeruari: vt proinde magis vocanda ſit Iuſtitia Chriſti, quàm noſtra. Et in hoc ſenſu plerumq; SS. Patres loquuntur, nos iuſtificari non noſtrâ, ſed Chriſti iuſtitia. Quod ſi aliqui SS. Patres deprehenduntur dixiſſe, nos non iuſtificari iuſtitiâ noſtrâ, quæ *neq; ſit ex nobis, neq; in nobis*, intelligunt de Iuſtificatione in genere Cauſæ Efficientis: in quo genere per ſolam iuſtitiam Chriſti, quæ neq; ex nobis, neq; in nobis eſt, iuſtificamur.

Vide Bell: Lib: 1. de Iuſtific: cap: 4. & ſeq.

4. Fides quæ apud Catholicos ad Iuſtificationẽ præréquiritur, non eſt fiducia miſericordiæ Diuinæ ex parte ſolius voluntatis ſe tenens: cùm ſæpè ſcriptura huiuſmodi fiduciã, in tali caſu contradiſtinguat fidei, velut alteri virtuti: vt cùm dicitur Epheſ: 3. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentiâ, per fidem eius.* Neq; eſt fides illa, quæ notitiam potiùs quàm aſſenſum importat, cùm vera fides multis aſſentiatur, quæ non intelligit. Et Apoſtolus *2. Cor: 10.* per prædicationem Euangelij, velit *in captiuitatem redigere, omnem intellectum in obſequium Chriſti*; quod non eſſet opus, ſi prius intelligeret, quàm aſſentiretur. Et S. Hilarius L.8. de Trin: *Habet*, inquit, *non tam veniam, quàm præmium, ignorare quod credas: ſperare quod neſcias.* Nec deniq; fides illa ſpecialis promiſsionum: cuius ſcilicet obiectum ſit ſpecialis miſericordia, quâ firmiſsimè perſuadetur ſibi remiſſum eſſe peccatum: ſed eſt illa fides, quæ ad omnia à DEO reuelata ſe extendit, cum firmo aſſenſu.

Quæ fides ad iuſtificationem requiritur.

5. Bo-

5. Bona opera Fidelium ex gratiâ facta, asserunt Catholici esse meritoria vitæ æternæ, & satisfactoria pro pœnâ temporali. Nec tamen per hoc quicquam derogant meritis, & satisfactioni Christi: sicut & orando pro se, non derogant efficaciæ orationis Christi, quâ in terris pro nobis orauit, & in cælis quoq; interpellat pro nobis. Omnem enim vim & efficaciam meriti, & satisfactionis operum nostrorum, fundant in virtute & efficaciâ meritorum, & satisfactionis Christi, & in efficaciâ gratiæ Dei: qui sua dona facit nostra merita: & dum coronat nostra merita, coronat sua dona. Nec putant consequenter, posse fidelem quempiam, iure de suis Operibus meritorijs & satisfactorijs præsumere; cùm hæc omnia quâ proueniũt ab homine, nullius sint valoris; imò sordes: in quo sensu pleraq; loca Scripturæ, & SS. Patrũ hoc indicantia, accipiunt, & interpretantur. Porrò Caluinistæ dicunt quidem opera bona esse necessaria ad salutem, sed non quâ meritoria vitæ æternæ; verùm quâ præsentia vt fructus & signa Fidei. Dicunt item omnia hominum opera, etiam illa quæ vulgò iustitia habentur, nihil esse nisi inquinamenta & sordes, & meram apud Deum iniquitatem: & ne vnum quidem opus à Sanctis exire, vel ab aliquo quantumuis perfecto, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem. Ita Caluinus *L. 2. Inst: c. 12. 14. & 15. sæpè aliàs.* Quæ cùm adeò vniuersaliter sint dicta, de omnibus prorsus operibus Sanctorũ, nullo excepto, & cum notis exclusiuis, nil scilicet esse vllũ opus bonũ, nisi merã iniquitatem; videtur etiam complecti opera, vt ex auxilio gratiæ Dei facta; tantò magis, quod idem Caluinus in Antid: Cõc:

Meritum bonòrum operũ ex Christo.

Quid bona opera apud Caluinistas.

Seß: 6. c. 11. nullos Sanctos & pios, etiam Spiritu Dei adiutos, ferendo legis iugo pares fuisse senserit.

6. Bonis operibus tribuunt Catholici rationem meriti, vt potè, quibus Scriptura docet in vitâ æternâ correspõdere mercedem: *Gaudete quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth: 5.* Et: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Matth: 19.* Remanet verò adhuc difficultas, an opera nostra sint meritoria vitæ æternæ, merito de congruo; quod fundatur in amicitiâ, vel liberalitate Dei: an merito de condigno, quod fundatur in Iustitiâ. Tenent ergò Catholici opera ex gratia facta hominis iusti, esse meritoria vtroque merito. Et quidem merito congrui, in quantùm congruum est legi amicitiæ, vt, quod homo iustus, & ex consequenti amicus Dei, facit pro Deo; Deus quoq; correspondendo, rependat illi: Congruum item est, vt petente, vel exigente aliquid homine iusto, & grato Deo, siue ore, siue opere, condescendat illi Deus, pro sua liberalitate, & misericordiâ. Meritum quoq; de condigno in bonis operibus agnoscunt Catholici; non tamen asserunt illud fundari in iustitiâ perfectâ & rigorosâ, ita scilicet vt fiat ex proprijs, & non aliâs debitis. Homo enim iustus non meretur ex proprijs; quia ex dono gratiæ, & virtute meritorũ Christi, meretur: neq; ex aliâs nõ debitis; quia quicquid facit, debet Deo pro multis beneficijs iam acceptis; & ex pluribus alijs titulis. Remanet ergò quòd meritum illud de condigno, operum bonorum, fundetur in iustitiâ imperfectâ; incluso etiam & interueni-

Opera bona sunt meritoria, & de cõgruo, & de condigno.

Quale meritum nostrum de condigno.

teruueniente pacto Dei cum hominibus iustis de præmio operum.

Cùm autem aliqui ex Theologis Catholicis docent, posse esse meritum hominis de condigno præciso pacto: (vt perstringunt Caluinistæ *Corol: 14.*) intelligunt non de merito operis, sed de merito personæ: nam eò quòd sit aliquis Filius Dei, est etiam simul hæres; qui vt sic, & præciso pacto, meretur habere hæreditatem: & hoc modo non inconuenit attribui homini iusto meritum de condigno, præciso pacto respectu vitæ æternæ, non vt mercedis, vel stipendij, sed vt hæreditatis. Porrò hoc per abstractionem, non per exclusionem dicitur, considerando scilicet personam iusti, præcisam siue abstractam ab opere illius: quâ ratione præscinditur quoq; pactum, sed non excluditur; quia nec opus personæ illius excluditur, ratione cuius operis, pactum prædictum in ordine ad meritum de condigno, requiritur. *Vide Bellar: l. 6. de Iustif. c. 17.* *Quomodo aliqui meritum de cōdigno præciso pacto admittunt.*

7. Perfectio hominis Christiani est duplex; altera Viæ, altera Patriæ: Et iterum Viæ duplex: altera quæ cadit sub præcepto, altera quæ cadit sub consilio. Perfectio Patriæ est, secundum quam totus affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit ad Deum. Perfectio Viæ est, secundum quam excluduntur ea, quæ repugnant motui dilectionis in Deum. Quod duobus modis fit: vno modo, in quantùm ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatũ mortale: & talis perfectio est de necessitate salutis; & cadit sub præcepto: alio modo in quantùm ab affectu hominis excluditur, non solũ illud, quod *Perfectio Viæ, & Patriæ.* *Vide S. Tho: 2. 2. q. 184. a. 2.* *Perfectio viæ duplex.*

lud, quod est charitati contrarium, sed etiam illud, quod impedit affectum mentis, ne expeditiùs tendat in Deum. Et talis perfectio cadit sub consilio, iuxta illud Matth: 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c.

Docent ergò Catholici, quòd perfectio propria Patriæ, non potest in hac vitâ haberi; taliter vt affectus hominis continuò & actualiter tendat in Deum, & non committat homo quandoq; aliquos defectus, esto leuiores; quales tamen perfectio Patriæ non patitur. Et secundũ hoc S. Augustinus *in Lib: de Perf: Iust:* præceptum illud de perfecta dilectione Dei, *Matth: 22.* docet in Patriâ primùm impleri: *In plenitudine*, inquit, *charitatis Patriæ, præceptum illud implebitur.* Et comparatiuè ad hanc perfectionem Patriæ, sæpiùs SS. Patres innuunt, in præsenti vita nullum hominem, quantumuis Sanctissimum, assequi perfectionem, & consummationem. Cæterùm perfectionem propriam Viæ, non negant SS. Patres, nec Scripturæ Sacræ; sed magis illam docent, & ad illam exhortantur. Sic Abrahæ dicitur Gen: 17. *Ambula coram me: & esto perfectus.* Et *Lucæ 1.* de Ioanne dicitur, quòd venerit *parare Domino plebem perfectam.* Et *Hebr: 6.* monemur, vt *ad perfectiora feramur.* Et S. Hieronymus L. 1. in c. 5. Matth: *Sciendum est Christum non impoßibilia præcipere, sed perfecta: quæ fecit Dauid, Stephanus, &c.* Quòd verò vltra perfectionem sub præcepto cadentem, etiã perfectionem cadentem sub consilio, possint assequi homines, apertè habemus ex illo B. Pauli, 1. Cor: 7. *Præceptum Domini non habeo: consilium autem do. &c. vool*

Præceptũ de perfecta dilectione Dei, quomodo in Patria impletur.

Perfectio viæ potest haberi in hac vitâ.

enim vos

enim vos omnes esse, sicut me ipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo. &c.

8. Opera supererogatoria dari, admittunt Catholici; non quòd homines iusti operentur aliquid pro Deo, supra id quod meretur Deus: sed quia vltra ea, quæ ipsis sunt præcepta à Deo, adiungant spontè & voluntariè plura alia, ex abundantiori charitatis affectu erga Deum; quæ potiùs sub consilio tantùm, quàm sub præcepto cadunt: quale est v.g. Vendere omnia, & dare pauperibus: vitam in cælibatu ducere, iuxta S. Pauli suprà positum consilium. &c. Neq; hæc doctrina noua est in Ecclesiâ, sed mox ab initio, vt constat ex Actis Apostolorum, *cap: 2.* practicata, & communiter à SS. Patribus agnita, & commendata. Sic S. Hieronymus, L. 1. contra Iouin: *Plus amat*, inquit, *virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: Maiorisque gratiæ est, offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.* Et S. August: Serm: 18. de Verb: Apost: *Ambierunt virgines illam maiorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent: Quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis? amando te plùs facimus, quàm præcipis.* Et S. Chrysost: hom: 8. de Pœnit: *Nequaquam Dominum incuses: haud mandat impossibilia: multi & ipsa superant mandata.* Et S. Gregorius L. 15. Moral: c. 5. *Electi nonnunquam student plùs agere quàm eis dignatus est Dominus, iubere, &c. vt videlicet plùs impendant obsequio, quàm acceperunt præcepto.* Plures alios SS. Patres vide apud Bellarm: de Monachis. Cap: 11.

Opera supererogationis.

Depuratio ab imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

1. IMputatur Catholicis, quasi doceant, prætermissâ Dei misericordiâ, Christoq; Mediatore, eiusq; gratiâ & merito spreto, bonis operibus, ijsq; sine Christo & gratia factis, promereri hominem gratiam iustificationis. Cùm tamen Catholici errorem hunc semper damnauerint, & damnent: & in opere iustificationis semper primas & integras partes deferant Dei misericordiæ, & Christi gratiæ. Augmentum quidem gratiæ iam possessæ, & ipsam consummatam gratiam, id est, gloriam vitæ æternæ, dicunt posse iustum promereri; non tamen sine auxilio gratiæ Dei, nec excluso merito Christi, sed potiùs omnẽ efficaciã merendi, asserunt ex gratia Dei, & merito Christi, deriuari. Porrò primã gratiam Iustificationis nullo modo sub meritum cadere statuunt; imò pro paradoxo contrarium habent. Principium enim omnis meriti (quod est gratia iustificans infusa) non cadit sub meritum: alioquin idem sibi ipsi esset principium. Quod si nonnulli ex Theologis Catholicis, meritum saltem congrui, ad primam iustificationis gratiam admiserunt, intellexerunt potiùs de impetratione orantis, quàm de aliqua efficacia meritoria promerentis: fundando illam ipsam congruentiam, non in dignitate orantis, sed in liberalitate Dei miserantis; cuius vtiq; misericordiæ congruum est; miserabilem personam postulantem gratiam reconciliationis, non ex debito, sed ex benignâ pietate, exaudire.

2. Imputatur Catholicis, quod fidem ad iustificationem re-

nem requiſitam non docuerint, ſed altâ obliuione neglectâ ſepeliuerint. Quod ſi intelligatur de Fide, qualem Aduerſarij requirunt, vltrò admittimus. Si verò de Fide illa veraciter ex ſupradictis ad iuſtificationem requiſitâ, oſtendant Aduerſarij, quando Eccleſia Catholica hanc Fidem excluſerit, vel neglexerit, & non potiùs ſemper cum Apoſtolo, *Hebr. 11.* docuerit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe, remunerator eſt.* Quid tot Catechiſmi, quorum ſemper vſus eſt, & erat in Eccleſia, teſtantur, niſi doctrinam Fidei Chriſtianæ, ſemper in Eccleſia Catholica viguiſſe, & vigere?

Doctrina Fidei Christiana semper viget in Ecclesia.

3. Imputatur Catholicis, quòd, cùm dicant fieri iuſtificationem per iuſtitiam inhærentem, eò ipſo negant iuſtificationem fieri per iuſtitiam Chriſti. Cùm tamen vtrumq; aſſerant Catholici in diuerſo genere cauſæ, vt viſum eſt; fieri ſcilicet iuſtificationem hominis, efficienter quidem per Chriſtum, & iuſtitiam eius: formaliter verò per iuſtitiam inhærentem; eamq; dependentem, & cauſatam totaliter à Chriſto. Porrò ſicut cùm dicitur: Fide (quæ vtiq; eſt ipſius hominis credentis) iuſtificari hominem; non per hoc detrahitur iuſtificationi per Chriſtum; cùm & ipſa fides ſit donum Chriſti: ita in præſenti, per hoc, quòd iuſtificetur homo iuſtitiâ inhærente, nõ derogatur inſtificationi per Chriſtum; quia illa ipſa iuſtitia inhærens, donum eſt Chriſti: Nec obſtat, quòd etiam vocetur Noſtra; ex eo quòd inhæreat nobis: nam & ipſe quoq; DEVS, vocatur DEVS Noſter: cur non gratia illius nobis data, vocetur noſtra?

Iustitiâ Christi, & inhærente, iustificatur homo.

Meritū, & satisfactio nostra, vim habet ex Christo.

4. Imputatur Catholicis, quòd bonis operibus vim merendi, & satisfaciēdi tribuendo, meritis & satisfactionibus Christi derogent. Quod vtiq; valeret, si Catholici seorsim, & indepēdenter à Christo, & meritis eius, tribuerent virtutem merendi, vel satisfaciendi operibus bonis. Cùm tamen illi è contra, omnem vim & efficaciam merendi & satisfaciendi, quæ est in bonis operibus, totaliter deriuent ex merito & satisfactione Christi, & in meritum ac satisfactionem Christi refundant: idq; congruo exēplo palmitis, qui sine præiudicio vitis fert fructum, quia à vite accipit omnem fructificandi virtutem. Et licet solus Christus possit omnes nos saluare, sine nostrâ cooperatione, non tamen vult nos otiosos esse in causâ nostræ salutis; suis nihilominùs expensis, & auxilijs, nostram paupertatem & infirmitatem ad operandum semper subleuans.

Cur Christus cooperationē nostram ad salutē nostra opus requirit.

Quomodo gratia non excludit iustitiam, nec iustitia gratiam.

5. Imputatur Catholicis, quasi doceant vitam æternam non dari ex gratiâ, sed ex iustitiâ; quia per merita de condigno. Cùm tamen apud Catholicos ratio meriti non excludat, sed magis supponat gratiam, tanquam primam radicem meriti, & totam vim & efficaciam ab illa sumat: sed nec gratia quoq; excludat iustitiam, interueniente præsertim pacto. Hinc non aliud volunt Catholici, cùm dicunt vitam æternam cadere sub merito de condigno, & dari non solum ex gratiâ, sed etiam ex iustitiâ, quàm quod dicebat Apostolus, cùm & gratiæ, & iustitiæ, vitæ æternæ collationē attribuebat. Gratiæ quidem, cùm ait Rom: 6. *Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo* IESV *Domino nostro*. Iustitiæ verò, cùm

rò, cùm dicit 2. Tim: 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita mihi est corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Iustus Iudex.* Coronam iustitiæ vocat gloriam, à Deo Iusto Iudice, & non solùm liberali largitore, non modo dandam ex gratiâ, sed etiam reddendam pro merito, ab eo Debitore, qui, vt ait S. Augustinus L. 2. Conf: c. 4. *Reddit debita nulli debens.* Et Serm: 16. de Temp: *Debitorem se fecit* (DEVS) *non tantum sibi, sed & Christo, & nobis: vt illi dicere possimus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* Et rursus idem Apostolus Hebr: 6. *Non enim*, inquit, *iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis.* Ad quem locum alludens præfatus S. Augustinus L. de Nat: & Grat: c. 2. *Non est*, inquit, *iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ.* Et Lib: 4. in Iulian: c. 3. *Deus ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius Regnum verus non admittitur iustus.* En quomodo ex iustitia dicit, reddi iustis à Deo mercedem vitæ æternæ; taliter quod si Deus non redderet, fraudaret iustos, vel iniustus esset, quod absit.

6. Imputatur Catholicis, quasi tantam superabundantiam meritorum, ex operibus supererogatorijs, adstruant, vt per ea non sibi tãtum, sed etiã alteri possit quispiam mereri. Cùm tamẽ apud Catholicos Paradoxum sit aliquẽ alteri mereri, si intelligatur de merito condigni: soli enim Christo, qui est Caput Fidelium, hoc competit, nulli verò hominum: nisi fortè intelligas de merito congrui, scilicet per orationem; quale etiam admittit Apostolus *Iac: 5.* cùm ait: *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Docent nihilominùs

Nullus de condigno meretur alteri.

Vide S. Tho: 1. 2. q. 114. a. 6

Vide Bellar: L. 1. de Indul: c. 2.

Catholici, posse aliquem non solùm pro se, sed etiam pro alijs satisfacere: applicando scilicet alicui opus aliquod pœnale & satisfactorium: licet non posit applicare opus, quâ meritorium. Rationem disparitatis assignant: vnus quisque enim, vt dicitur 1. Cor: 3. *propriam mercedem accipiet*: id est pro suis, non pro alterius meritis. Opus enim hominis iusti, iuxta Regulas Theologiæ nostræ Catholicæ, habet rationem meriti secundum virtutem motionis, & ordinationis Diuinæ, cùm supra suam conditionem naturalem ex proprijs naturæ, non posit se extendere: sola verò anima Christi mota est à Deo per gratiam, vt non solùm ipse perueniret ad gloriã vitæ æternæ, (intellige secundũ corpus) sed etiã alios in eam adduceret, in quantùm est Caput Ecclesiæ, & Author salutis humanæ, secundũ illud ad Hebr: 2. *Qui multos Filios in gloriam adduxerat, authorem salutis, &c.* Quilibet autem iustus, mouetur à Deo per donum gratiæ pro se solo, vt ad vitam æternam perueniat: ideoque Christus Dominus potuit etiam alijs de condigno mereri: nullus verò alius potest alteri de condigno mereri; alioquin meritum eius vltra motionem & ordinationem Dei sese extenderet. Opera verò satisfactoria, vel cuiuscunq; alterius tituli, non habent hanc restrictionem, per ordinationem Diuinam; imò sunt cõmunicatiua, iuxta illud Psal: 118. *Particeps ego sum omnium timentium te:* ideo sicut possumus pro alijs orare, ita possumus alijs nostras satisfactiones applicare.

Satisfactio, non meritum, potest alteri applicari, & quare?

Solus Christus alijs mereri potuit.

7. Imputatur Catholicis, quasi doceant omnes semper debere dubitare, an sint in gratiâ Dei? & an habeãt peccata di-

cata dimissa? Cùm tamen aliud sit dubium, aliud formido. Formido enim stat cũ probabilitate & fiduciâ: dubiũ nõ item. Vnde Catholici docent quidem quemlibet iustum, si suã attendat fragilitatem, & iudiciorũ Dei abyssum, debere esse semper pauidum, cum formidine de gratiâ: & dicere cũ Prophetâ: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Et cũ Apostolo: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.* Cum hac nihilominùs formidine, & timore operando suam salutem, postquã cum auxilio Dei, fecit quod debuit, pro recuperandâ (si forte illã amiserat) gratiâ, per pœnitentiam; excluso omni dubio, magnam & generosam debet concipere, in Dei misericordiâ, fiduciam, & magis ac magis satagere, per bona opera certiorem facere suam vocationem, vt monet Scriptura *2. Petri 1.* Porrò ipsi Caluinistæ, non satis benè illam certitudinem infallibilẽ & indubitatã videntur explicare, cum quâ nihilominùs dicunt posse stare *conflictum, cum varijs angoribus & dubitationibus. Corol: 16.* Et cùm præterea addunt ibidem: *Non omnes, qui Spiritum Dei se habere iactant, siue testimonium Spiritus Sancti, quod sint filij Dei, & hæredes, verè illud habent.*

Timendum, non dubitandum de gratiâ.

Psal: 18.

1. Cor: 4.

PRO PARTE CALVINISTARVM.

Caluinistæ quoq; hæc sibi falsò imputari querũtur.

1. QVasi mortis, & meriti Christi, pro omnibus sufficientiam negent. *Corol: 5.* Quod eo fundamento illis affigitur: quia Caluinus quem vt præceptorem sequuntur, &

Vnde imputatur Caluino, quod Christi meritis derogat.

tur, & cuius dogmata mordicùs defendunt. *L. 2. Inst: c. 17. §. 3. & in Epist: ad Philip: c. 2. ℣. 9.* tam parum de Passionis Christi valore & merito sentit, vt dicat non per se sufficere ad redemptionem nostram, sed ex solo gratuito fauore Dei Patris: nec importare causam, sed ordinem tantùm consequentiæ ad nostram salutem. Quod vel ipse Illyricus vehementer in Caluino reprehendit.

Et quòd dicat, nō omnes veraciter velle Deum saluare. 2. Quasi non omnes verbo Euangelij vocatos seriò, & sincerè, aut sufficienter, à Deo ad pœnitentiam & salutem vocari doceant, sed plerosq; tantùm simulatè & hypocriticè, sola externa voluntate signi, cui nulla interna voluntas beneplaciti sit, vt qui nullo modo omnium salutem velit. *Corol: 6.* Hoc tamen Catholici Doctores colligunt ex eodem Caluino, qui *L. 3. Inst: c. 24. §. 13.* hæc ait de Deo: *Ecce vocem ad eos dirigit, sed vt magis obsurdescant: lumen accendit, sed vt reddantur cæciores: doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant: remedium adhibet, sed ne sanentur.* Idem colligitur *ex L. 1. c. 17. §. 2. & c. 18. §. 3.* Et cōtra Nebulon: Resp: ad Propos: 7. & aliàs.

3. Quasi solâ fide quæ sit sine operibus; quæq; tantum credat sibi propter Christum remissa esse peccata, quamuis sine vllâ resipiscentiâ in eis homo perseueret, iustificari doceant, omneq; studium bonorū operum tollant. *Corol: 8.* Hoc tamen Catholici Doctores colligebant ex ipso similiter Caluino, qui *L. 3. Instit: c. 11. §. 9. 13. 14. 17. 18.* & passim alibi, sic fidem solam admittit, vt disertis verbis opera excludat: imò & incompatibilia cum fide adstruat. Notanda *Et quòd excludat opera bona.*

tanda sunt specialiter verba Caluini, locis allegatis: *Valeat eorum somnium, qui iustitiam ex fide & operibus conflatam, comminiscuntur.* §. 14. Et: *In calculum fidei non veniunt opera, sed prorsus separanda sunt.* §. 18. imò alicubi etiam docet: Nec vnum opus etiam à sanctis exire, quod si in se censeatur, (hoc est, vt notâ alibi sua doctrinâ explicat, citra non imputationē Dei ad mortē) non sit dignum morte & interitu. Quam doctrinā hausit Caluinus ex Luthero: qui argumentum hoc in quodam Opusculo, quod habetur *Tom: 1.* suorum Oper: latè prosequitur; asserens omnia quæ facit homo, esse *opera Diaboli, opera peccati, opera tenebrarum, opera stultitiæ.* Quî verò fieri posſit, vt talia ad iustificationem aliquâ ratione cum fide admittantur, cùm potiùs per iustificationem sint tollenda, & ipsi iustificationi è diametro opposita? Aut quomodo vel ipse actus fidei, in eâdem, cum alijs operibus, damnatione generali, iustificabit?

4. Quasi nullam iustitiam inhærentem doceant in Iustificatione interuenire: cùm tamen admittant Sanctificationem internam: & Caluinus *L. de Neces: Ref: Eccles:* dicat: *Nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur iustitiâ inhærente.* At Catholici DD. hoc imputant illis, quia non admittunt iustitiam inhærentem, quâ formaliter iustificetur homo. Et quia alioquin Caluinum vel sibi contrarium, vel difficilem ad concordandum reperiunt, qui *L. 3. c. 11.* §. 3. ita in imputatione extrinseca constituit iustificationem, vt omnem penitùs intrinsecam iustitiam excludat. Sic enim ait: *Cùm itaq; nos Christi intercesſione iustificet Deus; non pro-*

Et quod omnē inhærētem iustitiam excludat.

non propriæ innocentiæ approbatione, sed iustitiæ imputatione nos absoluit, vt pro iustis in Christo censeamur: qui in nobis non sumus. Si ergò in nobis non sumus iusti, sed tantum censemur, quomodo aliquâ intrinsecâ iustitiâ iustificamur?

Et quòd prædestinati ad libitum possũt volutari in peccatis.

5. Quasi doceant semel iustificatos, gratiam Dei non posse amittere, quamuis in peccatis pro libitu volutentur: cùm potiùs doceant etiam ipsos renatos quoties in peccata recidunt, nisi ab illis peccatis resipiscant, nec fidem viuam, nec Dei gratiam iustificantem pro tunc retinere: imò re ipsâ damnandos esse. *Corol: 11.* At Catholici Doctores hoc illis imputant, eò quod Caluinus aliquando docuerit, fidem solos habere prædestinatos, sic L. 2. vel 3. Inst: c. 2. §. 12. *In fidem,* inquit, *non illuminantur, nec Euangelij efficaciam verè sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad vitam.* Præterea, apud illum fides & gratia separari non possunt, quia fide iustificati, fidem sine iustitia, & iustitiam sine fide habere non possunt. Adhæc, apud illum in eodem Cap: *Sicut nunquam extinguitur spiritus ille* (verba sunt illius) *ita & fidem, quam semel insculpsit, piorum cordibus euanescere & perire impossibile est.* Hinc sequitur, quòd etiam gratiam in istis impossibile est perire, quantùmuis huiusmodi prædestinati volutentur in peccatis; quæ etiam nec imputantur ipsis in peccata (de mente illius) ex quo sunt prædestinati: vt habet *L. 3. c. 4. §. 28.* His adde, quæ in Antid: Concil: in Can: 12. docet, etiam inter grauissimos lapsus semen Fidei aliquod remanere. Et ea quæ *L. 3. Inst: c. 2. §. 19.* addit: Vbi primùm vel minima fidei gutta mentibus nostris instillata est, iam faciem Dei nos pla-

nos placidam, & serenam, nobisq; propitiam contemplari incipere. Similia habet Beza *in Confess: c. 4. a. 20.* Ex quibus idem quod suprà colligitur, scilicet secundum Caluinum quemlibet semel iustificatum, etiam in grauissimis lapsibus, sicut fidem non perdere, ita nec gratiam apud Deum, quæ cum minima etiam fidei gutta, siue scintilla, siue (vt vocat Caluinus) semine subsistit. Quis porrò tunc prohibeat hominem illum criminosum ampliùs in suis volutari criminibus, securum, quòd gratiam non amittit, nec imputatur illi quicquid malè fecerit: dummodò fortiter credat sibi remitti totum? In his vel conueniunt moderni Caluinistæ; & immeritò queruntur imputari sibi: vel non conueniunt; & Caluino renunciant.

Antitheses. §. 4.

Ex dictis colligitur, in quo differant Partes.

NOn enim in eo differunt, an Iustificatio impij sit ex gratia Dei, & meritis Christi? An verò ex proprijs meritis, vt sic?

Nec in eo: An opera bona sint necessaria homini fideli?

Nec in eo: An fides requiratur ad Iustificationem? Et an ita sola, vt neq; resipiscentia à peccato, neq; pœnitentia, neq; alij actus sint necessarij? In his enim omnibus dicunt ambæ Partes se consentire. Ampliùs addunt Caluinistæ, *Corol: 18.* se de sublimi prædestinationis mysterio eandem planè sententiam tenere, quam ex Scripturis, imprimis S. Augustinus contra Pelagium, olim asseruit: quamq;

ipsi Romanæ Ecclesiæ Doctores præcipui, præsertim S. Thomæ Aquinatis Sectatores hodieq; retinent. Quod non parùm æstimandum est: dummodò euentus verbis correspondeat. Porrò in his principaliter Contradictoriè sibi aduersantur.

Dissensus Partiũ. 1. CATHOLICI docent Iustificationem, vt contra distinctam apud Caluinistas Sanctificationi, illam scilicet, quæ importat remissionem peccati, fieri formaliter per infusum donum gratiæ intrinsecum, siue per inhærentem iustitiam: & non per solam extrinsecam imputationem iustitiæ Christi.

CALVINISTÆ docent Iustificationem in hoc sensu, non fieri per aliquam iustitiam inhærentem, sed solùm per extrinsecam iustitiæ Christi imputationem.

2. CATHOLICI docent, opera bona facta ex dono gratię, esse meritoria vitæ æternæ de condigno, & satisfactoria pro pœnâ temporali, similiter de condigno; esto non secundum perfectam & rigorosam iustitiam.

CALVINISTÆ nullam vim merendi & satisfaciendi bonis operibus tribuunt.

3. CATHOLICI docent consequenter remissionem peccati, ita fieri per infusionem gratiæ, vt eâ aboleatur, & penitus tollatur macula peccati, & non solùm non imputetur à Deo.

CALVINISTÆ docent, remissionem peccati, fieri per non imputationem illius, & per imputationẽ iustitiæ Christi: non autem per aliquam infusionem gratiæ aboleri, & penitus tolli maculam peccati: nisi fortè id admittant fieri,

saltem

ſaltem ex parte, per illum habitum Sanctificationis; de quo in prima Declaratione dictum eſt, & improbatum.

4. Catholici docent, poſſe hominẽ in præſenti vitâ, attingere perfectionem propriam Viæ: ſcilicet, & præcepta perfectè, ſine transgreſsione aliqua lethali, implendo; & conſilia, ſiue ſupererogatoria opera adijciendo.

Calvinistæ docent, non poſſe hominem in hâc vitâ aſſequi Perfectionem, quâ & præcepta perfectè impleat, abſq; vllo peccato mortali vitam ſuam tranſigendo, & conſilia, ſiue opera ſupererogatoria adijciat.

5. Catholici docent, neminem, ſine ſpeciali reuelatione Dei, poſſe eſſe certum, eâ certitudine cui falſum non poſsit ſubeſſe, de eo, quòd ſit in gratiâ, ſeu quòd ſit Prædeſtinatus.

Calvinistæ docent, poſſe aliquem ſine ſpeciali reuelatione Dei, habere teſtimonium Spiritus S. cui teſtimonio non poſsit ſubeſſe falſum, quòd ſit filius & hæres Dei.

CAPVT VI.

De Sacramentis in genere & in ſpecie.

Propoſitiones vtriuſq; Partis. §. *1.*

CATHOLICORVM.

1. Sacramentum nihil eſt aliud, quàm inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, eiuſdem gratiæ imaginem gerens, & cauſa exiſtens. Siue: Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione Sanctitatis, & Iuſtitiæ tum ſignificandæ, tu meſficiendæ, vim habet. 2. Sa-

2. Sacramenta nouæ legis, quæ verè & propriè Sacramenta dicuntur, sunt septem: nimirum Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Matrimonium, & Extrema Vnctio.

3. Baptismus fluminis, nisi interueniat sanguinis, aut flaminis, in casu quo aliter fieri non possit, est omninò necessarius ad salutem omnibus, non solùm adultis, sed etiam paruulis.

4. In Sacramento Eucharistiæ, per Transsubstantiationem, verè, realiter, & præsentialiter, non modò in vsu, sed etiam extra vsum, adest Corpus Christi sub speciebus Panis & Vini Consecrati.

5. Tam integer est Christus sub altera specie tantùm, quàm sub vtraque. Vnde Laici sub vnâ specie tantùm Cōmunicantes, nil minùs sumunt, quàm Sacerdotes Communicantes sub vtraq; specie: neq; vllo Christi præcepto *obligantur* omnes in vniuersum Fideles ad Communicandum sub vtrâq; specie.

6. Partes Sacramenti Pœnitentiæ integrātes, sunt tres: Contritio, Confessio, & Satisfactio.

7. Est in Ecclesiâ potestas, ijs, qui post adeptam reconciliationem, rei sunt luendæ pœnæ temporalis, satisfactionem Christi applicandi: ac per hoc Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ dispensandi.

8. Prædictæ Indulgentiæ, animabus Fidelium defunctorum in Purgatorio detentis, possunt per modum suffragij applicari: quibus non minùs iuuantur, quàm consuetis viuentium orationibus, cæterisq; pijs operibus.

CALVI-

CALVINISTARVM.

1. SAcramenta ſunt externa, & in oculos incurrentia ſigna, ſigilla, & teſtimonia Voluntatis Diuinæ, per verbum elemento additum: à Deo ipſo inſtituta, ad inuiſibilem gratiam, quæ verbo fœderis promittitur, obſignandã, & mediantibus illis ſignis exhibendam. *Cap: 6. n. 1.*

2. Sacramenta nouæ Legis, verè & propriè dicta, ſunt tantùm duo: ſcilicet Baptiſmus, & Cœna Domini. *n. 2.*

3. Sacramentum Baptiſmi, vt medium ſalutis ordinarium, omninò neceſſarium eſt: Non tamen ita, vt ſi quis quocunq; caſu, citrà contemptum, ſiue infans, ſiue adultus, ſine Baptiſmo externo exceſſerit ex hac vita, damnetur neceſſariò. *Tit: de Bapt: n. 2.*

4. In Sacramento Cœnæ Domini, Panis & vinum, verè ſunt & dicuntur Corpus & Sanguis Chriſti: non quòd fiat tranſſubſtantiatio panis & vini, in Corpus & Sanguinem Chriſti; ſed quòd medijs his Symbolis fide apprehenſus percipitur, & adoratur Chriſtus: non vt ſub ijs Symbolis latens, ſed vt ad Dextris Patris reſidens. *Tit: de Cœna Sacra: n. 2. 3. 9. 10. 11. & alijs.*

5. Chriſtus omnes nos ex calice bibere, non minùs quàm panem edere iuſsit. *n. 14.*

6. Ad remiſsionem culpæ, peccatorum deteſtatio eſt neceſſaria, vt conditio, quâ apti efficiuntur homines ad Diuinam miſericordiam conſequendam. Confeſsio verò, præſertim latentium delictorum, libera quidem eſt, & vtiliſsima, pro capiendo conſilio & conſolatione anxij animi, ad vltra

ad vltra internam pœnitentiam non necessaria: Sicut neq; vlla Satisfactio, ex parte hominis pœnitentis, est necessaria. *Tit: de Pœnit: n. 1. 2. & 4.*

7. Nullus est vsus Indulgentiarum, qualis hodie vsurpatur. *n. 4. Corol: 4.*

8. Non sunt necessariæ ad redimendas pœnas æternas, aut temporales, vel in hac vitâ Satisfactiones Canonicæ, vel post hanc vitam satispassiones in igne aliquo Purgatorio. *n. 4. Corol: 3.*

Declarationes Propositionum. §. 2.

Sacramẽta non solùm signa, sed etiam causæ gratiæ.

1. SAcramentum Nouæ Legis apud Catholicos, non est signum, aut Symbolum nudum, sed efficiens simul quod significat. Hinc Sacramenta vocantur causæ Efficientes Instrumentales gratiæ. An autem sint instrumenta Physica? vel Moralia? spectat ad Controuersiam inter Theologos: nobis quoad doctrinam Fidei, sufficit dicere, quòd Sacramenta sint causæ gratiæ, non principales, sed instrumentales: & quòd sint constituta non ad confirmandas promissiones, neq; ad significandam gratiam solùm; sed ad significandam simul & conferendam gratiam.

Baptismus triplex.

2. Circa Baptismum in specie, obseruandum est, quod vulgò dicitur triplex: fluminis, flaminis, & sanguinis. Baptismus fluminis, vocatur, baptism⁹ aquæ naturalis, quæ taliter requiritur, vt non teneat Baptismus, si fiat in quâcunq; artificiali seu distillata aqua. Et huiusmodi Baptism⁹ cõmunis est paruulis & adultis. Baptismus flaminis dicitur Baptismus in voto; adiuncta perfectâ conuersione ad Deũ per verã contri-

contritionem, & non aliter. Talis Baptiſmus ſolis adultis conuenit, vt patet, non verò paruulis infantibus, qui ob defectum vſus rationis elicere actum contritionis, & voti Baptiſmi, non poſſunt: nec tenet aliter, niſi dum impoſsibilitas obſtat perueniendi ad Baptiſmum aquæ: alioquin qui poſſet peruenire, & negligeret, vel omitteret, eſto non ex contemptu, nequaquam haberet votum, ſiue deſiderium verum Baptiſmi, nec veram & ſeriam cõuerſionem ad Deum, cuius præceptum tanti momenti de Baptiſmo negligeret, aut non feſtinaret, quàm primùm commodè poſſet, implere: quæ omnia ſunt contra hypotheſim. Baptiſmus deniq; ſanguinis eſt, quo aliquis in ſuo ſanguine pro Chriſto fuſo baptizatur, antequam ad aquam Baptiſmi perueniat, aut peruenire poſsit. Talis Baptiſmus communis eſt infantibus & adultis.

3. Baptiſmus aquæ, ita eſt neceſſarius, vt niſi obſtet impoſsibilitas, & in caſu neceſsitatis, ſuppleat Baptiſmus flaminis, aut ſanguinis, nullo modo poſsit ſine illo aliquis ſaluari. Et ideo infantes, etiam fidelium Parentum, qui aliquo caſu moriuntur ſine baptiſmo, non ſaluantur. Quod expreſsè tradit S. Auguſt: L. 3. de Orig: Anim: c. 9. *Noli credere*, inquit, *noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire poſſe ad originalium Indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Et in Epiſt: 20. ad S. Hieronymum: *Quiſquis dixerit, quòd in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſine Sacramenti eius participatione de vita exeunt; hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, vbi propterea cum baptizandis*

Baptiſmus aquæ quo modo neceſſarius.

ptizandis paruulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur aliter in Christo omninò viuificari nõ posse. Sed super omnia apertus est locus Scripturæ, Ioan: 4. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.*

Nec valet si dicas per aquam, hîc intelligi Spiritum S, vel eius epithetum; aut aliquid aliud moraliter. Hæc enim voluntaria est expositio contra torrentem omnium antiquorum Patrum, quos longo recenset ordine Bellarminus, *L. 2. de Sacram: c. 6.* Et si aliquis Patrum aliquid Morale per hanc aquam intellexit, morali conceptu, non exclusit literalem aquæ sensum, sed in eo fundauit moralem.

Notanter verò addidi, Infantes etiam fidelium Parentum, sine baptismo, non saluari; supponunt enim Aduersarij, quòd Infantes ex fidelibus Parentibus nascantur Sancti: iuxta illud 1. Cor: 7. *Filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt:* consequenter dicunt non indigere illos de necessitate Baptismo. Quod tamen est contra vulgatum illud Axioma, de quo S. Hieronymus *Epist: 7. ad Lætam;* & ante illum Tertullianus in Apolog: c. 17. *Christianos non nasci, sed fieri:* vtiq; per Baptismum. Hinc & S. Dauid, licet fuisset filius Patris fidelis, tamen *Psal: 50.* ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Et Apostolus erat filius Sanctorum, vt ipse affirmat *2. Cor: 12.* & nihilominus *Eph: 2.* ait: *Eramus & nos naturâ filij iræ;* quæ loca optimè premit Bellarminus contra Aduersarios, *L. 1. de Bapt: c. 4.* & varias Aduersariorum euasiones solidè confutat. Et certè quid iuuat tam aperta loca Scripturæ, & SS. Patrum, torquere ad alienos sensus, vbi ex propri-

Quomodo infantes fidelium Parentum vocantur Sancti.

Christiani nõ nascuntur, sed fiunt.

proprietate verborum non cogimur ad aliquod absurdum? Nec illud ex S. Paulo: *Filij vestri sancti sunt:* vrget aliquid: habet enim multiplicem sensum apud SS. Patres; nullum tamen in fauorem Aduersariorum. Aliqui enim dicunt filios fidelium vocari Sanctos, sanctitate Ciuili; id est, legitimos. Alij Sanctos appellari dicunt, quia curâ Parentum fidelium, per Baptismum consecrantur Deo, & postmodùm in sanctitate instituuntur. Vide eundem Bellarminum vbi suprà, allegantem SS. Patres, & instantias Aduersariorum dissoluentem.

4. Numerus Septenarius Sacramentorum, vnum est ex illis, quæ potissimùm per Traditionem habentur. At nihilominùs Traditio hæc fundata est in Sacra Scriptura: ex qua singula deducuntur, & deduci, esto fortasse non euidenter (de aliquibus loquendo) at solidè & neruosè, antiquorũ Patrũ Ecclesiæ iudicio, cõprobatur. Ostenditur quoq; sufficienter à Doctoribus Catholicis, omnia ad rationẽ Sacramenti requisita, in singulis reperiri: vt videre est, præter plurimos alios Theologos Scholasticos, apud Bellar: *Tom: 3.* *Sacramẽta septẽ.*

Quod si Aduersarij requirant, & exigant à Catholicis clarum textum Scripturæ de 7. Sacramentis: Catholici pariter requirunt ab illis clarum textum Scripturæ de duobus tantùm, & non pluribus Sacramentis. Si Aduersarij non admittunt loca Scripturæ, quæ pro singulis Sacramentis allegant Catholici; adferant illi Scripturam clariorem, quâ vnum quodq; illorum quæ ipsi reijciunt, excludatur de numero Sacramentorum. Imò ostendant clarum textũ Scri-

pturæ, quo euidenter constet, vel illa duo quæ admittunt Sacramenta, Baptismum, & Cœnam Sacram, verè & propriè esse, ac dici Sacramenta: sicut Catholici ostendunt pro Matrimonio clarum textum, Ephes: 5. *Sacramentum hoc magnum est. &c.* licet Aduersarij tam claro textui adhuc non acquiescant, sed ad alium sensum torqueant illum. Sic facilè alia quoq; loca Scripturæ, quæ allegarentur ad clarè & euidenter probanda singula Sacramenta, eluderent.

S. Augustinus nō agnoscit duo tantum Sacramēta, sed septē.

Cæterùm, Traditionem Ecclesiæ confirmat apud Catholicos totius Sacrę Antiquitatis Authoritas. Frustra enim allegatur à Caluino, *L. 4. Inst: c. 19.* S. Augustinus tanquam duo tantùm Sacramenta agnoscens. Nam licet illis locis quæ Caluinus allegat, eorum tantùm meminit: illa tamen, vt ex ipsis verbis S. Augustini clarè colligitur, exempli loco tantùm adducit, non verò alia excludit. Imò in *Epist: 118.* (quæ ab Aduersarijs, contra Catholicos, allegatur) cùm dixisset: *Sacramentis numero paucissimis, obseruatu facillimis. &c. sicuti est.* (Nota ly *sicuti est*: quod exemplificandi causâ, inductum aliquid indicat) *Baptismus, Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis & Sanguinis ipsius*: adiungit postmodùm (quod omittunt plerumq; Aduersarij) *& si quid aliud in literis Diuinis commendatur.* Quod non dixit dubitando, sed alia quoq; Sacramenta insinuando: quæ clariùs expressit *in Psal: 103.* dicens: *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ: munus Sacramentum in Baptismo, in Eucharistiâ, in cæteris Sanctis Sacramentis.*

Et *L. 2. contra Petil: c. 104.* expressè inter Sacramenta, simul cum Baptismo, refert Confirmationem: *Sacramentū,* inquit,

inquit, *Chrismatis, in genere visibilium signaculorum, Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Vnde manifestè colligitur, velle S. Augustinum Confirmationem, quæ *Sacramentum Chrismatis* vocatur, ita verè & propriè esse Sacramentum, *sicut*, inquit, *ipse Baptismus.* De Sacramento Pœnitentiæ non minùs clarè loquitur, ad illa verba: *Qui alligat contritionem eorum.* Psal: 146. *Quæ sunt*, inquit, *ista alligamenta? Temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ.* Et paulò post ad idem argumentum rem protrahens, inter alligamenta, quæ vocauit Sacramenta, meminit *impositionis manus ab aliquo Præposito, ad alligandam fracturam:* quæ fiebat antiquitùs in Sacramento Pœnitentiæ. Vnde hucusq; à Doctoribus Catholicis quæritur: An impositio manuum sit de ratione Sacramenti Pœnitentiæ? De Sacramento Ordinis habet *L. 2. contra Epist: Parmen: c. 23.* vbi Baptismum, ex æquo cum Ordinatione ponit: *Vtrumq;*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumq; homini datur: illud cùm Baptizatur, illud cùm Ordinatur. Itaq; in Catholicâ Ecclesiâ vtrumq; non licet reiterare.* Nota, hinc quoq; colligi, tam in Baptismo, quàm in Ordine, Characterem indelebilem imprimi, & propterea hæc Sacramenta nō licere reiterari: quod & de Sacramento Chrismatis docuit idem S. August: *L. 2. contra Epist: Petil. c. 104.* De Matrimonio habet, *Lib: de bono Coniugali, cap: 18. In nostrorum*, inquit, *nuptijs, plus valet Sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* De Extrema Vnctione habet, *de Visit: Infirm: L. 2. c. 4.* Qui liber, licet dubium sit, an Authorem S. Augustinum habuerit; quicunq; tandem Author illius est, constat antiquissimum & probū fuisse. Por-

Vide Suarez T. 5. in 3. P. disp: 18. Sect: 6.

Character in quibus Sacramentis imprimitur.

S. Augustini authoritas apud aduersarios. Porrò idcirco specialiter ex S. Augustino omnia septē Sacramenta visum est deducere: quia apud Aduersarios, præ alijs, est maximæ authoritatis. Nam & Lutherus *in Defens: verb: Cœna Dom:* tale illi perhibet testimonium: *Meo sanè iudicio, post Apostolos, Ecclesia non habuit meliorem Augustino.* Et Caluinus L. 3. Inst: c. 3. §. 10. *Ex Augustino*, inquit, *sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis certum habere volunt.*

Quod si hæc omnia ex S. Augustino adducta, & quæ ex alijs Patribus adduci possint, & à Doctoribus Catholicis adducuntur, explicabunt Aduersarij de Sacramentis non verè & propriè dictis: pari libertate possent hoc idem de Baptismo, & Eucharistiâ; imò & de quouis mysterio fidei dicere; & omnia Metaphorica, impropria, & non vera vocare, quantùmuis premerentur authoritate antiquitatis; imò & Scripturæ.

Tandem libet exigere ab Aduersarijs, quatenus illam quam exhibent declarationem Confirmationis, per quandam Catechesim, & illam qualem longissimo sermone exponunt, præsentiam Corporis Christi in Cœnâ Sacrâ; & alia quæ toto fermè Capite de Sacramentis proferunt, ostēdant quoq; nobis, euidenter ex puro verbo Dei, & doctrinâ antiquorum Patrum deduci: & quòd loca quæ adferunt in hunc finem, proprium & genuinum sensum illum habeant, quem illi prætendunt, & non alium. Cùm verò hoc præstare nequeant, (vt vel ex eo constat, quod à nostris Doctoribus Catholicis, non minori saltem probabilitate, aliter ab ipsorum sensu, explicantur) cur à communi Ecclesiæ intelligentiâ recesserunt? *Aduersarij sine solidiori ratione in contrarium recedunt ab Ecclesiâ.*

5. Dici-

5. Dicimus in Sacramento Euchariſtiæ, per tranſubſtantiationem, id eſt, per conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti; & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti, ſaluis accidentibus panis & vini, adeóq; verè, & propriè, & realiter, ſub iiſdem accidentibus, mox poſt prolata verba conſecrationis, adeſſe Corpus & Sanguinem Chriſti adorandum, & manducandum à fidelibus. Et quidem veritas realis præſentiæ Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis contenti & latentis, tam manifeſtis probatur, non modò Sanctorum Patrum, verùm etiam Scripturæ Sacræ authoritatibus, vt vel ipſe Lutherus in Epiſtola ad Argentin: indicauerit ſe libenter euerſurum fuiſſe hoc dogma Catholicum, quò magis Papatui noceret, niſi adeò aperto textu Euangelij prohiberetur: Verba illius placet adducere: *Si Carolſtadius mihi perſuadere potuiſſet, in Sacramento, præter Panem & Vinum eſſe nihil, magno beneficio me ſibi deuinxiſſet: hâc enim re valdè Papatui incommodaſſem. Verùm ego me captum video, nulla elabendi viâ relictâ. Textus enim Euangelij nimis apertus eſt, & potens: qui facilè conuelli non poſſet, multò minùs verbis aut gloſſis è capite vertiginoſo confictis, ſubuerti.*

Tranſubſtantiatio quid.

Quàm libenter Lutherus verã Chriſti præſentiam in Euchariſtiâ negaſſet, ſi potuiſſet.

Huic adiungo ſuum Achatem, Philippum Melanth: qui ad Fridericum Mycon: de eodem argumento ita loquitur: *Si pro Corpore, figuram Corporis accipias, quid non poterit eludi hac arte? ſic licebit totam Religionis formam transformare.* Et Lib: de Verit: Corp: & Sang: Dom: *Si ob rationes humanas Chriſtum neges eſſe in Euchariſtiâ, quid dicet in tentatione conſcientia? quam afferet cauſam diſcedendi à receptâ ſententiâ in Eccleſiâ? Tunc iſta verba,* Hoc Est Corpus Mevm,

Quemodo Philip: Melant: clarũ textum ſcripturæ agnoſcit pro præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtiâ.

MEVM, *fulmina erunt: Quid his opponet mens perterrefacta? quibus Scripturis, qua voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit necessariò hîc fuisse interpretandam Metaphoram, cum Verbum Dei praeferri debeat iudicio rationis?* Hæc illi.

Porrò loca Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ad comprobandam hanc veritatem, superfluum videtur adducere, cùm sint cuiq; obuia, & longâ serie à Bellarmino, præter alios, inducta, atq; ab alienis expositionibus solidè vindicata, *Lib: 1. & 2. de Sacram: Eucharist.* Sit satis pro nunc; semper in Ecclesiâ pro Hæreticis habitos fuisse, qui veram & realem præsentiam Corporis Christi negârunt. Primi verò qui huius hæresis semina iecerunt, fuere illi, qui in Euangelio, audito hoc mysterio, dixerunt, Ioan: 6. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* & illi qui ibidem audientes Christum, de eodem mysterio dicentem: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem: in me manet, & ego in illo:* dixerunt: *Durus est hic sermo: & quis potest eum audire? Et abierunt retrò; & non iam cum eo ambulabant.* His porrò paulò ante dixerat Christus ibidem: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Ita planè & ij qui postmodùm nolebant credere veritatem Corporis Christi in Eucharistia, & quibus hic sermo durus visus est, abierunt retrò, id est, extra Ecclesiam, nec ampliùs cum Christo ambulârunt, facti Hæretici: quos suo ordine recenset Bellarminus vbi sup: *L. 1. c. 1.* E contrà, sicut Missæ Sacrificium, testimonio vel ipsorum Aduersariorum alibi citatorum, ita & veritas præsentiæ Corporis Christi, in totâ Ecclesiâ ab antiquissi-

Semper pro hæreticis habiti, qui negabant Christi præsentiam in Eucharistiâ.

Animad: cap: 14.

quissimis tẽporibus constantissimè propugnabatur: adeò vt meritò Erasmus Roterod: alioqui homo suspectus Ecclesiæ Catholicæ, scripserit ad Ludouic: Berum: *Nunquam mihi persuaderi potuit, neq; poterit, Christum, qui est veritas, & charitas, tamdiu passurum fuisse, dilectam sponsam suam, id est, Ecclesiam, hærere in tam abominando errore, vt crustulum farinaceum, pro ipso adoraret.* *Incredibile, quòd Christus tanto tẽpore deberet Ecclesiã suã in idololatria relinquere.*

Vnum nihilominùs pro multis SS. Patribus, præter plures alios, qui infrà occasionaliter allegabũtur, libet nunc adducere, S. Chrysostomum *Hom: 60. ad Popul: Antioch:* sic pro veritate realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, disertè loquentem: *Neq; enim,* inquit, *satis illi,* (scilicet Christo,) *fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi; verùm & semetipsum nobis commiscet: & non fide tantùm, verùm & ipsâ re nos suum efficit Corpus. Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os, quod igne Spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali insignitus sis honore. Quod Angeli videntes horrent, neq; liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi Corpus, & vna Caro.* Hæc ille. *Vide Gualt: in Chronol: per singula sæcula circa prim: verit.* *S. Chrysosto: pro veritate Corporis Christi in Eucharistiâ.*

Quis Catholicorum, realem & veram Christi præsentiam sub speciebus Panis, & vini, clarioribus, magisque emphaticis verbis non modò recognoscere, & exprimere, verùm etiam contrarium errorem confutare, & reijcere potuisset, quàm hîc S. Chrysostomus recognouit, & expressit, cõfutauit & reiecit? sicut cùm, præter alia, ait: *Non fide*

tantùm, verùm & ipsâ re, nos suum efficit Corpus, exhibendo vtiq; illud nobis ad manducandum; consequenter non fide tantùm, contrapositâ rei, sed in ipsâ re præbendo manducandum. Sicut item cùm requirit tantam puritatem manus, quam dicit hanc carnem diuidere; oris, quod tali igne repletur; linguæ, quæ tremēdo illo sanguine rubescit. Numquid enim hæc, nudis Symbolis, re vacuis, sub quibus scilicet, vt dicūt Aduersarij, nequaquā Corpus Christi inuisibile nobis lateat, aptari possunt? Sicut deniq; cùm differentiā ponit inter nos, & Angelos, nosq; quantùm ad vsum Eucharistiæ Angelis præfert: cùm proculdubiò si nos Sacramentaliter verè & propriè Corpus Christi non sumimus, sed illo tantummodò ab Aduersarijs descripto, non solùm nihil suprà Angelos excellamus propter illa Symbola, verùm ipsi Angeli nos longè excellant: qui feliciùs detractis Symbolis, Christo fruuntur; non per fidem, sed claro intuitu.

Corpus Christi in Ecclesia etiam extra vsum

6. Dictum est verum Corpus Christi esse sub speciebus Panis, non solùm in vsu, verùm etiam extra vsum: Hoc est, non solùm quando actu fideles percipiunt hoc Venerabile Sacramentum, verùm etiam antequam percipiant, mox post prolata verba consecrationis, virtute eorundem verborum, secundū quod dicit S. Augustinus Tract: 80. in Ioan: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Alioquin postquam Christus in vltimâ Cœnâ protulit illa verba: *Hoc est Corpus meum*; si non statim, & de præsenti, panis ille factus fuisset suum Corpus in ipsis eius manibus, sed expectandum foret quousq; sumeretur, quomodo veritas in verbis Christi

Christi de præsenti inueniretur? Hinc S. August: in Psal: 33. *Ferebatur Christus in manibus suis: quādo cōmendās ipsum Corpus suū, ait:* HOC EST CORPVS MEVM. *Ferebat enim illud Corpus in manibus suis*; scilicet, vi verborū consecrationis in ipsis suis manibus ex pane transsubstantiatum. Et idem dicendum de consecratione Sacerdotum, quæ fit virtute eorundem Christi verborum. Vnde S. Chrysostomus ad illum Apostoli locum: *Panis quem frangimus nonnè Communicatio Corporis Domini est?* 1. Cor: 10. *Quid est*, inquit, *in calice? quod ex latere Christi fluxit:* apertè indicans Sanguinem Christi, non in ore solùm, sed etiam in calice, vtique post consecrationem Sacerdotis, contineri. Et rursum allegatâ suprà Hom: 60. ad Pop: *Verbum dicit* : HOC EST CORPVS MEVM: *& assentiamur, & credamus.* Et S. Hilarius L. 8. de Trinit: *De veritate*, inquit, *Carnis, & Sanguinis, non est ambigendi locus.*

Hinc docent Catholici, verba quæ cum elemento Sacramentum faciunt, non esse *Concionalia*: sed *Consecratoria*: iuxta illud 1. Cor: 10. *Calix cui benedicimus. &c.* quod ineptè intelligeretur de verbo Concionali ad Calicem directo: ex ipsa verò terminorum proprietate congruè accipitur de verbo consecratorio; quod etiam verbum benedictionis vocatur. Vnde & S. Augustinus specialiter de Baptismo loquens, L. 3. contra Donat: c. 10. *Baptismus*, inquit *Christi, verbis Euangelicis consecratus.* *Verba in sacramētorū confectione non sunt concionalia, sed consecratoria.*

Porro pro hâc reali præsentiâ Corporis Christi, etiam extra vsum, facit communis Antiquitatis consensus, quem ex pluribus primorum sæculorum Patribus colligit, præter

alios, Bellarminus *L. 4. c. 4.* Nec inficiatur Caluinus, apertis, & quibus difficilè sit refragari, verbis conuictus: ait enim L. 4. Instit: c. 17. §. 39. *Sed enim qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum? Fateor: verùm in re tantâ, & in quâ non sine magno periculo erratur, nihil tutiùs est, quàm veritatem sequi.* Hæc ille: quasi veritas extra veteris Ecclesiæ sensum reperiatur: & quasi veteris Ecclesiæ sensum sequendo, & non potiùs ab eo recedendo, cum magno periculo erretur. Optimè Scriptura Sacra, *Iob 8.* hesternos homines remittit ad antiquiores: *Interroga*, inquit, *generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam. (Hesterni quippe sumus: & ignoramus; quia sicut vmbra dies nostri sunt super terram) & ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.* Scilicet, hesterni ad antiquos, & sapientia illorum, ad horum sapientiam, velut vmbra, ad lucem comparatur.

Hesterni ad antiquos remittuntur

7. Obseruandum est, aliud esse Institutionem Christi, aliud præceptum: multa enim à Deo instituta, non tamen omnibus sunt præcepta, vt V. G. Matrimonium à Deo institutum, non tamen omnibus præceptum. Hinc Eucharistiam quoq; sub vtraq; specie à Christo institutam profitentur Catholici, sed non propterea omnibus sub vtraque specie tenent præceptam. Sicut non ideò præceptum est communicare vesperi, sumptâ cœnâ, & lotis pedibus, quia Christus Eucharistiam instituit vesperi, sumptâ cœnâ, & lotis pedibus Apostolorum. Vnde cùm ex vno capite, totus & integer Christus, illeq; viuus cum carne simul & sangui-

sanguine, sub vnâ specie contineatur, & ex alterâ parte non extet præceptum Diuinum clarum, quod vrgeat sub vtraq; specie communionem; ideò non errat Ecclesia, nec Diuino contrauenit præcepto, statuendo, vt laici sub vnâ tantùm specie cõmunicent, sub quâ æquè Corporis, & Sanguinis Domini participes fiunt, ac Sacerdotes sub vtraq; specie communicantes: vt proinde comedendo Corpus Christi, concomitanter bibant quoq; verè Sanguinem Christi, esto non externè apparenti potu.

Communio sub vtraq; specie, aliquãdo libera erat in Ecclesia, aliquando præcepta.

Non inficiamur aliquando liberũ fuisse laicis sub vtrâq; specie communicare; aliquando etiam præceptum ab Ecclesiâ: sicut temporibus S. Leonis Papæ, & Gelasij Papæ itidem: ad discernendos nimirum Catholicos à Manichæis. Quorum multi ex Africâ Romam profugi, vt suam hæresim occultarent, & se Catholicos esse mentirentur, publicè in templis simul cum Catholicis ad Sacram Eucharistiam accedebant; Catholicis quidẽ aliquando sub vnâ specie Panis, aliquando sub vtraq; specie (prout tunc liberum erat) ipsis nunquam sub alterâ specie, scilicet vini (ex abominatione illius) communicantibus. Hinc S. Leo *Serm: 4. de Quadrag:* quo à Communione Sacrâ arcerentur prædicti Manichæi, & fideles ipsorum consortio non inficerentur; iussit illos omnes notare, qui sub vnâ duntaxat specie communicarent, sibiq; denunciare. Insuper Gelasius Papa, quò magis Catholici discernerentur à Manichæis, tulit legem, vt deinceps Catholici nunquam abstinerent à Calice; ne Manichæis viderentur consentire.

Postmodum cessante hoc periculo, & habito respectu

ad plura incommoda, ex communione laicorũ ſub vtraq; ſpecie, prouenientia, decreuit Eccleſia, pro laicis communionem, ſub vnâ duntaxat ſpecie: vt quod à principio vltrò & liberè faciebant fideles laici, ad ſuum arbitrium ſub vna vel vtraq; ſpecie communicantes, ex tunc præcepto Eccleſiæ parendo, nonniſi conformiter, & ſemper omnes ſub vnâ tantùm ſpecie communicarent. Vſum à principio Communionis ſub vnâ ſpecie, & rationes, ac congruentias reſtricti, per legem Eccleſiæ, liberi vſus ſub vtrâq;, ad vnam ſpeciem, vide apud Becanum *in Manuali L. 1. c. 9.* & Bellar: *4. de Euchariſt: c. 20. & ſeq.*

In Euchariſtia non eſt Corpus Chriſti cũ pane.

8. Ex dictis circa SS. Euchariſtiæ Sacramẽtũ colligitur 1. Corpus & Sanguinẽ Chriſti, ita eſſe in Euchariſtia per tranſſubſtantiationẽ (hoc eſt, mutationẽ ſubſtantiæ Panis, & vini, virtute verborum conſecrationis, in Corpus, & Sanguinem Chriſti) vt nullo modo ſit ſimul cum pane, & vino. Ita S. Ambroſius *L. 4. de Sacram: c. 4.* expreſsè docuit: *Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit Caro Chriſti.* Et inf: ibidem: *Sermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis Sermo Chriſti? Nempè is quo facta ſunt omnia. Iuſsit Dominus, & factum eſt cælum: iuſsit Dominus, & facta eſt terra: iuſsit Dominus, & facta ſunt maria: iuſsit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergò quàm operatorius ſit ſermo Chriſti: Si ergò tanta vis in ſermone Domini* IESV, *vt inciperent eſſe quæ non erant; quantò magis operatorius eſt vt quæ erant, in alia commutentur? &c.* Et poſt pauca: *Ergò tibi vt reſpondeam: non erat Corpus Chriſti ante conſecra-*

consecrationem sed post consecrationem, dico tibi, quod iam Corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est.

Consonat S. Cyrillus Hierosſ: qui quarto ſæculo floruit, Cathech: 4. Myſtag: *Cùm ipse*, inquit, *dixerit:* HOC EST CORPVS MEVM; *quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem ipse tam asseueranter dixerit:* HIC EST SANGVIS MEVS: *quis vnquam dubitauerit, vt dicat non esse eius Sanguinem? Aquam olim in vinum conuertit in Canâ Galileæ, & non erit dignus cui credatur, quòd vinum in Sanguinem transmutârit?* Et paulò poſt: *Quare cum omni certitudine Corpus & Sanguinem Christi sumamus; nam sub specie panis non est panis etiamsi gustu ita appareat; sed Corpus Christi. Et quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi gustus velit, sed Sanguis Christi. &c.* Ex his clarè habetur: ita mutari panem & vinum in Corpus & Sanguinem Chriſti; vt quod fuit ante cõſecrationem, panis, & vinum, poſt conſecrationem non ſit panis & vinum, ſed Corpus & Sanguis Chriſti: nec ſimul cum pane & vino, ſed ſolùm Corpus & Sanguis Chriſti. Sicut enim vinum illud in Canâ Galileæ, non erat ſimul vinũ & aqua, ſed vinũ ſine aqua: ita hîc Corpus & Sanguis Chriſti, eſt ſine Pane & vino: ſolùm accidẽtibus panis & vini, ſine ſubſtantiâ panis & vini, remanentibus; vt fides locũ habeat.

Quod ſi aliquando Euchariſtia vocatur panis, in eo ſenſu vocatur, quo in Euangelio dicuntur: *Cæci videre: surdi audire*: ſicut enim non eſt hic ſenſus verborum Euangelij; quaſi ſimul ſint cæci & videntes, ſurdi & audientes; ſed quòd illi qui ante erant cæci, vident, & qui erant ſurdi, audiunt: ita cùm v.g. *1. Cor: 10.* dicitur: *Panis quē frangimus, nonnè participatio*

Quomodo Eucharistia aliquando vocatur panis.

patio Corporis Domini est? nō est sensus quasi panis sit simul cū Corpore Christi, sed quia illud quod erat ante panis, mutatū est in Corp⁹ Christi; & quia præterea remanēt species panis.

Non est per vbiquitatem Corpus Christi in Eucharistiâ.

9. Colligitur secundò, Corpus Christi ita esse per transsubstantiationem in Eucharistiâ, vt nō sit per vbiquitatem, prout aliqui ex Aduersarijs Corpori Christi attribuunt, propter coniunctionem cum Deo, cui competit esse vbique. Neq; enim Caro Christi ita est coniuncta Diuinitati, vt adæquet illam; ac proinde sit, vbicunq; Diuinitas est; sed longè excedit Diuinitas Corpus Christi. Vnde sicut pes, licet sit coniunctus corpori humano, quia tamen non adæquat totum corpus hominis, non opus est vt totum illud spatium loci, quod occupat corpus, secundum alia, quibus pedem excedit, membra, occupet & pes: ita Caro Christi, esto sit vnita Diuinitati immensæ, quia tamen non adæquat Diuinitatem, non est opus vt vbicunq; est Diuinitas ratione suæ immensitatis, ibi sit Corpus Christi.

Impugnatur vbiquitas.

Vnde S. Augustinus *Epist: ad Dardanum,* quærentem ab illo: *An Christus sit vbiq;?* post multa, quibus distinctionem naturæ Diuinæ & humanæ à Christo assumptæ, indicat: *Secundùm hanc formam,* inquit, scilicet carnis, *non est putandus vbiq; diffusus. Cauendum est enim, ne ita Diuinitatem adstruamus, hominis vt veritatem Corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbiq; vt Deus. Nam & de nobis verissima Scriptura dicit: quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus. Sed aliter homo ille in Deo: quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodā & singulari modo:*

vna

vna enim Persona DEVS *& homo est, & vtrumq; est vnus* CHRISTVS IESVS: *vbiq; per id quod* DEVS *est; in cælo autem per id quod homo.* intellige localiter: nam Sacramentaliter etiam in Euchariſtiâ eſſe non negatur, ſed aſſeritur à S. Auguſtino *in Psal: 21.* ad illud: *Manducauerunt, & adorauerunt:* & ſæpè aliâs; vbi veritatem Corporis Chriſti, realiter in altari præſentis, recognoſcit.

Et certè ſi Corpus Domini erit vbique, nulla erit Cœnæ Domini neceſsitas; nam eo modo poterit in quocunq; alio cibo percipi Chriſtus; quia vbiq; habebitur. Nec valet ſi dicas (vt dicunt Lutherani) non vbiq; haberi ſecundum illã efficaciam ſpecialem, quam Chriſtus extra vſum Cœnæ non inſtituit, neq; indidit alijs rebus. Contra hoc eſt enim, primò: quia ſic Aduerſarij recidunt in alium errorem Caluiniſtarum, quẽ alioqui impugnant; ſcilicet, in Cœnâ Domini, nihil aliud, niſi efficaciam & energiam quandam, vltra alios cibos, reperiri. Deinde: nihil obſtat in alijs cibis quoq;, extra Cœnam Domini, eandem reperiri efficaciam: cùm hæc ſecundùm Lutheranos, nihil aliud ſit, quàm excitatio in ſe fidei iuſtificantis, credẽdo ſibi remiſſa eſſe peccata per merita Chriſti; ad quã fidẽ conſequatur fructus remiſſionis peccatorum. Cùm ergò Lutherani credant vbique, conſequenter etiam in cibo & potu domeſtico extra Cœnam, Chriſtum corporaliter eſſe præſentem, quis prohibet, vt excitent in ſe fidem iuſtificantem, quâ credant remiſſa ſibi peccata, & quòd infallibiliter alioqui iuxta illos, eam fidem conſequatur remiſsio peccatorum. Sic extra Cœnam quoq;, poterunt vbiq; illam Euchariſticam energiam & efficaciam experiri.

Tollit Eucharistiã vbiquitas.

Corpus Christi in Eucharistia non figuratè, & symbolicè, sed verè, & realiter.

10. Colligitur tertiò, illam transubstantiationem ita inducere verum Christi Corpus, vt non in figura tantùm, vel Symbolo, per fidem, in dextris Patris residens, apprehendatur, sed verè, propriè, & substantialiter, sub illis speciebus seu accidentibus panis existens, sumatur. Vnde S. Ioannes Damascenus L. 4. de Fide, c. 14. *Non est:* inquit, *figura Corporis & Sanguinis Christi: absit enim hoc, sed est ipsum Corpus Domini Deificatum.* Nec obstat quòd aliqui ex SS. Patribus dixerint Christum per signum esse in Eucharistiâ; sicut enim, ex quò Eucharistia Sacramentum est, signũ non excludit, imò inuoluit: ita neq; præsentia realis Corporis Christi signum illud excludit, neq; ipsum quoq; signum præsentiam realem Corporis Christi tollit: vnde SS. Patres, dicunt quidem, Christum esse in Eucharistiâ per signũ, sed non dicunt per solum signum; quasi præsentiam realem excludendo; quam alioqui astruunt.

Pœnitentia tres partes.

11. Positæ partes integrales Pœnitentiæ in Propositione sextâ, habent fundamentum & in Scripturâ, & in SS. Patribus. In Scripturâ quidem, præter plura loca, quæ adducit Bellarminus *L. 1. de Pœnit: c. 19.* illud est insigne de S. Dauid, *2. Reg: c. 24.* vbi postquam peccatum illius descripsisset Sacer textus; quomodò nimirum ex quadam elatione animi numerauerit populum: postmodùm pœnitentiam illius subiungit: *Percußit*, inquit, *cor Dauid eum:* Ecce contritio. *Et dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto:* Ecce confeſsio. *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me:* Ecce.

Ecce satisfactio. Illud similiter *Iona* 3. vbi Pœnitentia Niniuitarum sic describitur: *Conuertatur vir à via suâ malâ.* Ecce contritio. *Et clamet ad Dominum in fortitudine.* Ecce confessio. *Et homines, & iumenta, non gustent quicquam nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta.* Ecce satisfactio. Deinde ex SS. Patribus eædem partes colliguntur, præsertim ex S. Augustino, *in Psal: 146.* vbi verba illa, *Qui sanat contritos corde:* exponens: *Sanat,* inquit, *contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.*

Hinc Doctores Catholici, non solum virtutis pœnitentiæ, sed etiam Sacramenti, siue Sacramentalis Pœnitentiæ, easdem tres partes assignant: vt sicut tribus instrumentis vtitur homo ad peccandum, corde, ore, & opere; ita tribus ijsdem instrumentis, pœnitentiam agat, corde conterendo, ore confitendo, opere satisfaciendo: sicque impleat illud Rom: 6. *Sicut exhibuimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in Sanctificationem.* *Pœnitētia ijsdem instrumētis agenda quibꝰ peccatur.*

12. Confessionem peccatorum auricularem & priuatam in Sacramento pœnitentiæ, adstruunt Catholici non modò vtilem, sed etiam omninò necessariam de iure Diuino. Constituit enim Christus Iudices, in causis pœnitentium, Sacerdotes: iuxta illud Matth: 19. *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Et Matth: 18. *Quæcunq; alligaueritis, &c.* Et Ioan: 20. *Confessio auricularis.*

Quorum remiseritis peccata, &c. Cùm igitur Iudicem necesse sit causam cognoscere, quò sententiam legitimè ferat, & vel soluat absoluendo, vel retineat, aut liget, absolutionem denegando: & iudicium illud debeat fieri, non per accusationem Rei ab altero, sed à seipso; opus est ex eodem iure Diuino, pœnitentem in illo foro sua confiteri peccata. Hinc S. Leo *Epist: 19.* reuocat id ad institutionem Christi cùm ait: *Christus* IESVS *hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sanctorum per ianuam reconciliationis admitterent.*

Exomologesis. Et hunc vsum in Ecclesiâ confitendi Sacerdotibus propria peccata, à primis sæculis viguisse, constat ex Patribus diuersis antiquis, qui de Exomologesi frequenter meminerunt. Tertull: Lib: de Pœnit: *Exomologesis*, inquit, *est qua delictum nostrum Domino confitemur.* Et ne putes loqui illum de Confessione soli DEO facienda, subiungit paulò post: *Plerosq; hoc opus, vt publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis.* Quod si de Confessione publicâ intelligas dictum à Tertulliano, cur non magis de priuatâ admittas, quæ nimirùm olim præcedebat publicam, & in priuatâ iniungebatur? si tamen illa etiam occultissima peccata, quæ ruborem nata sunt inducere (de qualibus hîc loquitur Tertullianus) publicè manifestare solebant fideles, & non in priuatâ & secretâ solùm Confessione. De eadem Exomologesi meminit Origenes *Hom: 3. in Leuit: & Hom: 17. in Luc.* S. Cyprianus quoq; *Epist: 16. L. 3. & Serm: 5. de lapsis*, satis clarè de Confessio-

fesſione peccatorum Sacerdoti facienda, loquitur. S. Baſilius item in Reg: breu: Reg: 229. *Neceſſariò*, inquit, *ijs peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* Et S. Auguſtinus, Lib: 50. Homiliarum, hom: 12. *Deus noſter*, inquit, *quia pius eſt & miſericors, vult vt ea* (id eſt peccata) *confiteamur in hoc ſaculo, ne pro illis confundamur poſtmodùm in futuro.* Et in Pſal: 66. *Non confitentis conſcientia, ſaniem collegerat, &c. exeat in Confeſſione, & defluat omnis ſanies.* Et S. Bernardus Serm: 16. in Cant: *Omne quod remordet conſcientiam, confitere humiliter, purè fideliter.* Plura vide apud Bellarminum toto ferè *L.3. de Pœnit:* vbi etiam omnia Aduerſariorũ effugia & obiectiones, vltra quæ nil noui maioriſuè valoris modò afferunt, recenſet, premit, & ſufficienter diſſoluit. Adde Eccleſiæ antiquiſsimam conſuetudinem, quæ, in eo ſenſu loca SS. Patrum accipienda, ſecundum quem hactenus obſeruat in praxi, conuincit. Falſum enim eſt ab Innocentio III. primum Confeſsionem auricularem inſtitutam: qui non niſi, longè antè ſupponens vſitatam, ſaltem ſemel quolibet anno faciendam, præcepit.

13. Poſt remiſsionem culpæ, & ſimul pœnæ æternæ, ſæpè remanere reatum pœnæ temporalis docent Catholici, nixi authoritate Scripturarum, & SS. Patrum. Nam Beato Dauid dimiſſum erat peccatum adulterij, non tamen pœna: punitus enim eſt morte filij; non in cautelam ſolùm pro futuro, vt vult Caluinus *L.3. Inſtit:* detorquens S. Chryſoſtomum, contra textum antecedentem illius, & ſibi ipſi in eodem Libro *c. 4.* § 6. contradicens; ſed in vindictam

Remiſſâ culpâ non ſemper remittitur pœna.

pro præterito, vt indicat textus ipse Scripturæ 2. Reg: 12. *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Deinde S. Augustinus stat pro Catholicis: sic enim *in Psal: 50.* ait: *Impunita peccata, eorum etiam quibus ignoscis, non dimisisti: sic prærogasti misericordiam, vt seruares & veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis: sed seipsum punienti, &c.* Et S. Gregor: L. 9. Mor: c. 27. *Proculdubiò Dominus delictum sine vltione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans, percutit.* Hinc à Catholicis tertia pars pœnitentiæ ponitur Satisfactio, quâ aliquis per opera aliqua pœnalia, satisfacit Deo pro suis delictis: & præuenit in hâc vitâ, quod exoluendum erat pœnâ Purgatorij in alterâ: iustitiâ Dei exigente, sic ex misercordiâ dimitti culpam & pœnam æternam, vt saltem pœnâ temporali, vel spontaneâ, in hac vitâ, vel à Deo impositâ in futura, iuxta allegatum Augustinum, & Gregorium, delictum expietur.

Misericordia Dei cum iustitia coniuncta.

14. Quia verò Christus Dominus reliquit in Ecclesiâ immensum & inexhaustum thesaurum suorū meritorum, & infinitæ satisfactionis per labores totius vitæ suæ, & per immensa tormenta, quæ sub tempus passionis suæ subijt: Sancti item plurimi multò grauiora quàm deliquerant passi sunt, siue per cruciatus tyrannorum, siue per voluntarias pœnitentias & austeritates; idq; etiam tunc quando iam illis ex integro culpa & pœna pro anteactis peccatis remissa fuerat, ita quòd si tunc mortui fuissent, rectâ in cælum euolassent: hæc autem omnia quatenus pœnalia & laboriosa,

habe-

habebant vim & rationem satisfactionis: nec congruum erat vt perirent: ideoq; in thesaurum Ecclesiæ simul cum Christi satisfactionibus sunt reposita, quatenus alijs fidelibus, qui his indigerent, potestate eorum, quibus claues à Christo huius thesauri sunt commissæ, dispensarentur. Hinc origo est Indulgentiarum, in quibus arbitrio Prælatorum Ecclesiæ, iuxta facultatem cuiusq;, applicantur aliquibus satisfactiones Christi, & Sanctorum simul: idq; non ob defectum infinitæ Christi satisfactionis, quæ sola abundè sufficit, sed ad maiorem satisfactionum Christi gloriam, in quarum virtute, & non aliter, satisfactiones nostræ, & Sanctorum, omnem habent efficaciam & valorem. Atq; ita his satisfactionibus Christi & Sanctorum applicatis, siue viuis, siue mortuis, suppletur, quicquid ex parte illorum defuit ad satisfaciendum iustitiæ Diuinæ, vel in pœnis, aut pœnitentijs exoluendum erat. Ideoq; non asserunt Catholici per Indulgentias propriè ipsas culpas dimitti, sed pœnas pro culpis debitas, remitti. ***Indulgentia vnde***

15. Et quoniam multi ex hâc vitâ decedunt, qui post grauissima sua delicta, nullam in hâc vitâ pœnitentiam, per opera pœnalia & satisfactoria, egerunt; ideo hos, & quoscunq; alios, qui dum viuerent, pro delictis congruas pœnitentias siue pœnas, non subiuerunt, secundùm regulas iustitiæ Dei, asserunt Catholici oportere in Purgatorio totum exoluere, iuxta illud Domini, Matth: 5. *Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Quod S. Cyprianus *L. 4. Epist: 2.* de Purgatorio intelligit: Plures de Purgatorio probationes, & varias Sanctorũ authoritates, vide, præter alios, apud Bellarm: *Tomo: 2.* de Purgatorio. ***Purgatorium.***

Quia

Quia verò hi, qui ex hac vita decedẽtes, igne Purgatorij mundantur, non sunt exclusi à beneficijs Christi, licet non subiaceant Iurisdictioni Prælatorum Ecclesiæ Militantis; ideo ipsis quoq; possunt ab Ecclesiæ Prælatis, saltem per modum suffragij, applicari Indulgentiæ de thesauro prædicto Ecclesiæ: quibus substitutis, citius liberentur à pœnis. Sic etiam orationibus, Sacrificijs, & alijs pijs operibus fidelium viuentium, iuuari animas in Purgatorio detẽtas, semper in Ecclesiâ fuit dogma irrefragabile; cui subscribit S. August: Ser: 32. de Verbis Domini: *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, non est dubium mortuos adiuuari.* Et S. Chrysost: Hom: 69. ad Pop: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs, mortuorum fieret commemoratio. Sciunt enim multam illis contingere vtilitatem.* Et hom: 41. in 1. Cor: *Iuuetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.*

Indulgẽtiæ defunctis per modũ suffragij prosunt.

Orationibus & Sacrificio Missæ, iuuantur animæ in Purgatorio.

Et quidem Aduersarij pressi tam apertâ authoritate Antiquitatis, admittunt, frequẽtem apud antiquos mentionem, & vsitatum fuisse morem orandi pro defunctis; non tamen dicunt credidisse illos fuisse in Purgatorio, sed in quodam alio loco, vbi expectabant, nil passi, beatitudinem. Vnde illos liberari petebant, & luce beatâ donari. In quo tamen etiam asserunt illos errasse, talem assignando locum, & taliter pro illis orando. At mirum est, ne errori succumbant Aduersarij, & modernos, & antiquos Doctores, communemq; Ecclesiæ sensum & vsum, erroris damnant. Præterquam quòd tali glossæ & expositioni Aduersariorum, repugnant plurimæ ex allegatis Scripturæ Sacræ, & SS. Patrũ authori-

Chamier: Tom: 3. de Purg. L. 26. c. 14.

Ne ipsi Aduersarij errorẽ suũ agnoscãt, omnes alios dicunt errare.

authoritates: quibus indicatur apertè, animas in Purgatorio iuuari, vt soluantur à peccatis, id est, à pœnis, quas per peccata promeruerunt.

Præsertim verò vrget ille locus 2. Machab: 12. *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Nec obstat, quòd libri illi Machabæorum, ab Aduersarijs, sicut & à Iudæis, non habeātur pro Canonicis. Vt enim ait S. August: L. 18. de Ciuitate Dei, cap: 36. *Libros Machabæorum, non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Reliqua quæ Aduersarij contra Authoritatem hanc excipiūnt, nil speciale cōtinent, præter id quod ante Caluinus attulit, & iam à nostris, præsertim Bellarmino, solutum est, *L. 1. de Verb: Dei, c. 15.* eò Lector remittitur. *Machabæorum Libri canonici.*

Nec valet, quòd aliqui ex Aduersarijs obijciant, aliquos ex SS. Patribus, affectuosissimè Deo commendasse animas quorundā defunctorū, quas tamē gloriâ perfrui putabāt: vt specialiter videre est in S. Ambrosio, qui de obitu Valentiniani, preces pro animâ illius fudit, & nihilominùs Gratianū illi obuium post suam mortem introducit, excipientem ipsum, cum multis gratulationibus, in locum quietis æternæ. Ex quo colligunt, Orationes illas, quæ pro defunctis olim fundebantur, non necessariò supponere illos fuisse detentos in pœnis Purgatorij, sed aliquo alio titulo id factum fuisse. Ad hoc enim respōdetur: de Animabus fideliū defunctorum, quamdiu certi aliquid non innotescat nobis, dupliciter possumus cogitare; vel quòd sint in gloriâ, vel quòd detenti in Purgatorio: atque ita & secundum id quod speramus, & secundum id quod timemus, possumus loqui *Idē Chamier: vbi suprà.* *Quomodo pro defunctis & orandum, & pie de beatitudine illorum credendum.*

 de illis,

de illis, siue gratulando ipsis, siue requiem precando; nec tamen per vnum, præiudicando alteri. Sic S. Ambrosius facilè quoque accommodatur.

Depuratio ab imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

1. IMputatur Catholicis à Caluinistis, *c. 6. n. 4.* quasi doceant, Sacramentum operari sine bono motu vtentis. Imò aliqui addunt alibi, quasi Catholici doceant Sacramēta principaliter per suam naturalem conditionem conferre spiritum, sine fide, & fiduciâ, & sine bono motu accipientis; & exclusis meritis Christi. Et hanc impiam & perniciosam opinionem, dicunt, magnâ authoritate doceri in toto Regno Pontificio, miserosq; homines hâc superstitione illigari, vt potiùs in spectaculo rei corporeæ, quàm in Deo ipso acquiescant. Piget tam crassam Calumniam refutare, quam ex nullo vnquam Authore Catholico probant Aduersarij, sed pro auertendis ampliùs animis deceptorum hominum, à Religione Catholicâ, confingunt. Notum enim est Orbi, hanc semper in Ecclesiâ Catholicâ doctrinam constantem fuisse, principale operans in Sacramentis esse Christum, & totam virtutem atque efficaciam Sacramentorum, in meritis Passionis Christi fundari: & vltrà symbola & spectacula corporea, longè plus, quàm Aduersarij admittant in iisdem Sacramētis, Catholicos recognoscere. In adultis item semper requirere ad effectum Sacramenti, bonum motum voluntatis supernaturalem, ex auxilio su-

Quomodo Sacramēta in sententia Catholicorū operētur.

Opus operatum in Sacramē-

lio supernaturali; illos scilicet actus, qui per modum dispositionis requiruntur ad iustificationem: vltra quos, ex opere operato, virtute scilicet ipsius Sacramenti, confertur gratia. In infantibus verò, docent ijdem Catholici, Sacramentum Baptismi ex opere operato, absq; proprio opere operantis, effectum suum producere, eo quòd careant vsu rationis ad huiusmodi opera requisito. *tis non excludit opus operans.*

2. Imputatur Catholicis, quòd laicis, non absq; iniuriâ, subtrahant calicem in Sacramento Eucharistiæ. Cùm tamen Catholici nil minus sub vnâ, quàm sub vtraque specie contineri firmiter teneant: multò plus verò arbitrentur Caluinistas auferre, esto vtramq; speciem Sacramenti conferant; quia sub vtrâq; specie veram & realem Christi præsentiam tollunt, qualem etiam sub alterâ tantùm specie, integerrimam Catholici profitentur. *Sub vnâ specie tātum sumitur, quantum sub vtraque.*

3. Imputatur Catholicis, quasi à pœnitentibus plura exigant, quàm illi præstare possint in Confessione, circa enumerationem peccatorum, & Contritionem. Cùm tamen Catholici moralem tantùm requirant diligentiam, in reuocandis sibi, & enumerandis in Confessione peccatis: & Contritionem, non quidem viribus naturæ, sed auxilio gratiæ Diuinæ (quod præsto est pœnitentibus) possibilem, exigant. Imò vel solam attritionem (quæ faciliùs habetur) in Sacramento Pœnitentiæ doceant sufficere: virtute verò ipsius Sacramenti, ita perfici, vt ex attrito fiat pœnitēs contritus. *Enumeratio peccatorum in Cōfessione, quo modo requiritur.*

4. Imputatur Catholicis, quasi doceant posse aliquem conteri sine fide: mereri de condigno per contritionem re-

miſsionem peccatorum: actum pœnitentiæ dare efficaciam Sanguini Chriſti: Pœnitentem ſuis ſatisfactionibus ſurgere abſq; Chriſto: Sacerdotem abſoluere à peccatis authoritate propriâ. Quæ omnia tam facilè reijciuntur, quàm facilè ſine vllis probationibus proferuntur.

Satiſfactiones, pœnas temporales, non æternas, redimunt.

5. Imputatur Catholicis, *n. 4. Corol: 3.* quaſi ſatisfactiones Canonicæ ſint ad redimendas pœnas æternas. Cùm apud Catholicos ſatisfactiones ad redimendas tantùm pœnas temporales valeant. Pœnam verò æternam ſimul cum culpâ, gratiâ Chriſti, & ſolâ illius ſatisfactione, doceant remitti: & in eo ſenſu accipiant & intelligant Patres, qui dicunt, vel inſinuant, pœnam cum culpa remitti; vt ſcilicet de pœnâ æternâ, non ſemper verò de pœnâ temporali in hâc, vel aliâ vitâ perſoluendâ, dictum interpretentur. Quãuis contingat aliquando tam intenſam & vehementem fieri contritionem alicuius peccatoris, vt non modò æterna, ſed etiam temporalis pœna integrè illi remittatur.

Ad Indulgentias quomodo Sancti concurrunt.

6. Imputatur Catholicis, quaſi aſſerant Indulgentias non per Chriſtum, ſed per Petrum, Paulum, & Martyres, remiſsionem largiri peccatorum: & quaſi ſupponant, ſanguinem Martyrum addi Sanguini Chriſti, ad redimendam culpam, ad reconciliationem obtinendam, ad æternam pœnam abolendam. Cùm tamen tota virtus & efficacia ſatisfactionis Sanctorum apud Catholicos, non contradiſtinguatur Chriſto, & eius ſatisfactionibus; ſed in Chriſtum originaliter reducatur, & vltimatè reſoluatur, atque in illo principaliter fundetur. Reliqua verò, ex dictis manent iam refuta-

refutata; quantum ſcilicet ad hoc, quòd Indulgentiæ valeant ad remiſsionem culpæ, propriè loquendo, vel quoad remiſsionem pœnæ æternæ: quod nequaquam docent Catholici.

7. Imputatur Catholicis, quòd per doctrinam Purgatorij, expiationem peccatorum, alibi, quàm in Chriſti Sanguine quærant. Cùm tamen in ſententiâ Catholicorum, nec ignis Purgatorij ſine efficaciâ & virtute Sanguinis Chriſti, expiare valeat reatum delictorum. *Purgatoriũ purgationem Sanguinis Chriſti nõ excludit, ſed illi innititur.*

8. Imputatur Catholicis, quaſi matrimonia legitima prohibeant, aut palàm vituperent, aut obliquè perſtringant: quaſi immunditiam, iniquitatem, inquinamentum, ſordes vocitent. Cùm tantùm abſit, quod de Matrimonio talia ſentiant Catholici, vt potiùs cum Apoſtolo Hebr: 13. *honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum* commendent. Inſuper matrimonium inter Sacramenta referant, & publicè, ac ſolenniter, tanquam Sacramentum adminiſtrent. Illud verum eſt, quòd continentiam, vſui Matrimonij præferunt, non tanquam bonum malo, ſed tanquam melius bono. *Hæc dicentes,* ait in ſimili S. Maximus in Nat: S. Agnet. *non vituperamus coniugum caſta commercia, ſed virginum perſeuerantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus ſuperponenda eſt, ſed eſt optimis rebus præferenda.* *Matrimonium apud Catholicos honorabile, & Sacramentum.*

9. Imputatur Catholicis, quaſi doceant Cælibatum, iure Diuino, annexum Sacris Ordinibus. Cùm communiter contrarium doceant Catholici, ſcilicet non iure Diuino, ſed Eccleſiaſtico, Clericis in Sacris Ordinibus conſtitutis, *Cælibatus iuris Eccleſiaſtici.*

Cælibatum fuiſſe indictum. Attamen mox ab initio in Eccleſiâ, ab his qui erant Sacris deſtinati altaribus, vltrò perpetua ſeruabatur continentia. Vnde Concilium Carthag: 2. *Can:* 2. de hoc puncto loquens: *Quod Apoſtoli*, inquit, *docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoq́ cuſtodiamus.*

Vltrò aſſumitur. 10. Imputatur Catholicis, quaſi aliqui in Eccleſiâ Catholicâ, vi cogantur ad Cælibatum. Cùm tamen nonniſi ſponte ad hoc quilibet ſe obliget: vel vltrò talem ſtatum eligat, & aſſumat, cui annexus eſt Cælibatus. Eſto poſtquã talem iam elegerit ſtatum, non liceat ei ampliùs quod ante licuerat: ſed *felix neceſſitas*, vt ait S. Auguſtinus, *quæ ad meliora compellit.*

PRO PARTE CALVINISTARVM.

Aduerſarij in Eucharistia dicunt, non ponunt, verũ Corp9 Chriſti. 1. CAluiniſtæ quoq; dicunt imputari ſibi: Primò, quaſi negent in Euchariſtiâ verum Chriſti Corpus ſumi, ſed ſola nuda & vacua ſigna. Cùm tamen Catholici eſto aduertant, Aduerſarios in ſuis Propoſitionibus, præſentiam Corporis Chriſti in Cœnâ, & manducationem veri Corporis Chriſti, multis verbis magnificis & ſplendidis, deſcribere, & exaggerare: in re tandem deprehendunt apud illos ſub ſymbolo panis ſumi Corpus Chriſti, nõ vt ſub illo ſymbolo latens, ſed vt ad dextris Patris reſidens: quod eo ipſo, vt conſequenter ait Caluinus in Conſenſ: de re Sacram: *Neceſſe eſt à nobis tanto locorum interuallo diſtare, quanto cælum abeſt à terrâ.* Et paulò ante idem Caluinus ait: *Chriſtus quatenus homo eſt, non alibi quàm in cælo quærendus*

Secundũ Caluinũ, *eſt.* Si ergò ab illo ſymbolo panis, tantùm diſtat Corpus Chriſti,

Christi, quantum à terrâ cælum, quomodo vera, & nō imaginaria tantùm præsentia illius adest in Cœna? quomodo item verè & propriè mãducatur à nobis ipsum Christi Corpus; si tantùm quoq; distat à nobis, quantùm cælum à terrâ? hæc enim sunt contradictoria, distare & non distare, sed adesse. Nec per mysterium, ad quod confugit Caluinus, benè hanc difficultatem aduertens, euadit: nam mysteria sunt quidem supra naturam, sed non contra naturam: Alioqui mille cōtradictionibus posset aliquis suam Religionē implicare; idem & affirmando, & negando, & sibi apertè contradicendo; vrgentemq; Aduersarium hac vnicâ solutione expediendo, vel potiùs eludendo: *Mysterium est.*

Corpus Christi tātū distat à nobis, quātùm cælum à terrâ.

Mysteria, contradictiones veras nō soluant.

2. Imputari sibi queruntur Caluinistæ, quasi sui Pastores legitimâ seu Verbo Dei consentaneâ missione, & ordinatione caruerint, aut careant. *Tit: de Ord. Corol: vlt:* Id porrò arbitrantur Catholici non sine ratione, tam de ordinatione, quàm de missione. De ordinatione quidem: Nam hactenus in Ecclesiâ tam Latinâ, quàm Græcâ, nullus vnquam ordinatus erat Sacerdos, nisi per impositionem manus ab Episcopo: nullus legitimè censebatur honorem Sacerdotalem assumpsisse, nisi per Episcopum in eo gradu & ministerio constitutus fuisset. Hoc munus Episcopo competere indicauit Apostolus, Episcopo Timotheo scribens, 1. Tim: 5. *Manus cito nemini imposueris*; prout obseruauit S. Chrysostomus, Theophilactus, Theodoretus, Oecumenius, & alij passim ad illum locum. Et sic in praxi Ecclesia semper obseruauit.

Sacerdotum ordinatio quomodo fit legitimè.

Auter-

Aut ergò iste verus & proprius est modus ordinationis: aut ille longè diuersus, quem tenent modo Aduersarij. Si noster est legitimus, cùm illo careant Aduersarij, (sicut carent & Episcopis legitimè similiter, ex antiquo more & præscripto Ecclesiæ ordinatis) careant consequenter necessè est legitimâ ordinatione. Si verò Aduersariorum legitimus est: hoc ipsis probādū æquè claris, imò clarioribus testimonijs Scripturæ; quatenus nostrū ex antiquissimâ possessione sufficiant deturbare: quod quidem nimis erit arduum. Nam si ante illorum tempora nō fuit legitima Ordinatio, præter illam quam ipsi inuexerunt, neq; erat vera Ecclesia, quæ sine legitimis Ministris, vt potè, potissimis suis membris, subsistere nequit: quod tamē dicere, graue est absurdū.

Missio quæ legitima. De Missione idem dicendum; In Missione enim accipitur Iurisdictio: quò autem legitimè accipiatur, legitimè est conferenda. Confertur autem legitimè per Episcopos legitimos, qui vt dictum est, desunt Aduersarijs. *Per Magistratum sæcularē nō est legitima missio.* Magistratus enim sæcularis, per quem apud Aduersarios mittuntur prædicantes, nullam in causis Spiritualibus authoritatem habent, nisi vtrumq; statum, & vtramq; potestatem velimus confundere, quem semper antiqui Patres multum secernebant.

Laici cuiuscunq; status, nō debent se ingerere rebus Ecclesiasticis. Sic S. Ambrosius *Epist: 33.* refert se Imperatori Valentiniano dixisse: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ Diuina sunt, aliquod Imperiale ius habere. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.* Idem Theodosio Imperatori dixit aliquando: *Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*; teste Theodoreto, *L. 5. c. 17. Hist.* S. Athanasius quoq;

quoq; *in Epist: ad Sol: vit: agentes*, reprehēdit Cōstantiū quòd se rebus Ecclesiasticis ingereret; de quo etiā (vt addit) sic ab Hosio Episcopo Cordub: fuit admonitus: *Ne pracipe nobis in hoc genere: sed ea potiùs à nobis disce. Tibi enim Deus imperiū cōmisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ cōcredidit.* Scilicet, sic & ipsa Scriptura hæc munia distribuit 2. Paral: 19. *Amarias Sacerdos, & Pontifex, in omnibus, quæ ad Deum pertinēt, præsidebit: Porrò Zabadias super ea opera erit, quæ ad Regis officiū pertinent.* Huic veritati cōsentit magna ex parte, & ipse Caluin⁹ *L. 4. Instit: c. 11.*

Ex his ergò colligunt Catholici, Aduersarios carere legitimâ suorum Ministrorum Missione, quia non confertur illis à verè Ecclesiasticâ, vel Spirituali potestate, vel ab ijs, qui legitimè ab initio fuerint ordinati & missi, quiq; talibus legitimo ordine successerint.

Ad extraordinariam verò Missionem confugere, vanum est. Siquidem hæc probanda erat aliquibus miraculis veris, prout semper probabatur, iuxta illud 2. Cor: 12. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in signis, & prodigijs, & virtutibus.* Sic & S. Ioannes Baptista, esto non legitur fecisse miracula; multis tamen miraculis, sua conceptio, & natiuitas illustrata fuit: & eximia Sanctitas his omnibus accessit. Sic Christus ipse, miraculis oportebat suam vt cōprobaret doctrinam. Quod si Christū, & Apostolos, doctrinam suam, miraculis necesse erat confirmare; quantò magis eos qui recenter comparuerant, & plurima noua, contra vsitatam, & receptam pro tunc vniuersaliter in Ecclesiâ doctrinam, inuehebant, imò etiam multa contra antiquos Patres, & Doctores Ecclesiæ; quantò magis inquam hos,

Extraordinaria Missio miraculis probanda.

ſingularibus aliquibus miraculis, ſuam à Deo Miſsionem comprobare oportebat?

Et quidem quòd illi, qui primùm hanc (vt vocant) Reformationem doctrinæ inchoârunt, non modò illi pro tunc Eccleſiæ, ſed etiam antiquæ Patrum authoritati ſeſe oppoſuerint, patet ex dictis ſup: *Cap: 2.* §. *2. n. 9.*

Si igitur Primipili Aduerſariorum noſtrorum, tantæ molis opus aggreſsi ſunt, vt non modò contra communem pro tunc ſenſum Eccleſiæ, ſed etiam contra antiquorum Patrum doctrinam noua excitarent dogmata, illa proculdubiò miraculis aliquibus inſignioribus ab illis erant comprobanda, ſi verè à Deo miſsi extraordinariè fuerant. At ſine miraculis, inquis, multa effecerunt, multoſq; ad ſe traxerunt. Multò plura ſanè effecit hæreſis Ariana, multòq; plures traxit: & tamen hæreſis erat. Faciliùs eſt quippè homines ad plauſibilia carni, & curioſa nouitatum, & ad ſpeciem libertatis inclinari, quàm ad ſolida & pia applicari.

Homines ad mala proclinio-res.

Antitheſes. §. *4.*

Ex his colligitur, in quo Partes contradictoriè diſſentiant.

NOn enim in eo diſſentiunt: An Sacramenta ſint ſigna Sacra? & aliqua ſint admittenda?

Neq; in eo: An ex virtute Chriſti habeant ſuam efficaciam, &c. Sed in his.

Diſſenſus Partium.

1. CATHOLICI docent, Sacramenta non ſolùm eſſe ſigna gratiæ, ſed etiam cauſas gratiæ inſtrumentales.

CALVI-

CALVINISTÆ docent, esse sola signa, quibus mediantibus gratia exhibetur, non tamen quasi ipsis Sacramentis suâ causalitate concurrentibus.

2. CATHOLICI docent, esse septem verè & propriè Sacramenta, suprà recensita.

CALVINISTÆ docent, esse tātùm duo: Baptismum, & Sacram Cœnam.

3. CATHOLICI docent, Baptismū aquæ ita esse necessarium, vt nisi in adultis votum Baptismi cum seriâ conuersione in casu necessitatis adsit, vel in ijsdem & infantibus Baptismus sanguinis defectum Baptismi fluminis suppleat, quocunque casu Baptismus omittatur, non baptizatus siue infans, siue adultus, non saluetur.

CALVINISTÆ docent, in tali casu saluari, siue infantem, siue adultum, dummodo non ex contemptu omittatur Baptismus.

4. CATHOLICI docent, in Eucharistiâ per transsubstantiationem, Panem & Vinum, in Corpus & Sanguinem Christi, verè transmutari: & consequenter verè, propriè, & substantialiter existere idem Christi Corpus, & Sanguinem, sub vtrâque specie, solis accidentibus Panis, & vini remanentibus.

CALVINISTÆ docent, in Eucharistia non transsubstātiari Panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi, sed remanere substantiam Panis, & vini.

5. CATHOLICI docent, in Eucharistiâ manducari verè existens Corpus Christi sub speciebus Panis.

CALVINISTÆ docent, in Eucharistiâ verè manducari Cor-

ri Corpus Christi, sed non sub speciebus latens, at in dextrâ Patris residens.

6. CATHOLICI docent, Laicis sub vnâ specie tantùm; ex præcepto Ecclesiæ rationabili, communicandum esse; absq; vlla violatione præcepti Diuini.

CALVINISTÆ docent, ex præcepto Domini, etiam Laicis sub vtrâq; specie communicandum esse: aliter præceptum Dei violari.

7. CATHOLICI docent, ad Pœnitentiam requiri non solùm contritionem, sed etiam Confessionem, quam vocant auricularem, secretissimarum quoq; culparum, quæ facto, cum diligentiâ Morali, examine memoriæ occurrũt.

CALVINISTÆ docent, eam quidem Confessionem particularium peccatorum esse vtilem, sed non necessariã.

8. CATHOLICI docent, satisfactionem pro peccatis esse necessariam, & necessariò, vel in hac vitâ, vel in alterâ, explendam pro reatu pœnæ, qui remanet post dimissam culpam.

CALVINISTÆ docent, dimissâ culpâ, remitti & omnem pœnæ reatum: consequenter nullas satisfactiones necessarias.

9. CATHOLICI docent, dari Purgatorium, & illic animas detentas ad satisfactionem pro suis delictis, iuuari precibus, Sacrificijs, alijsq; pijs operibus viuentium.

CALVINISTÆ dicunt, nullum dari Purgatoriũ: consequenter frustra pro defunctis fieri suffragia.

10. CATHOLICI docent, admittendas esse Indulgentias, quæ valeant ad remittendã pœnam, quæ hîc per opera satis-

ra satisfactoria, vel in aliâ vitâ per cruciatus Purgatorij exoluenda erat: atq; ita Indulgentias pro viuis & defunctis valere.

CALVINISTÆ nullas Indulgentias admittunt, quæ viuis, vel defunctis prosint.

CAPVT VII.

De CVLTV DEI, & SANCTORVM.

Propositiones vtriusq; Partis. §. *1.*

CATHOLICORVM.

1. CVltus Religiosus Latriæ, soli Deo est debitus. Duliâ verò, vel etiam Hyperdulia competit creaturis, ratione alicuius supernaturalis Excellētiæ: sicut Sanctis cum Christo in cælo regnantibus.

2. Inter actus Latriæ, primo præcipuoq; loco censetur Sacrificium Missæ incruentum, verum, & proprium: quod non solùm est Eucharisticum, verùm etiam Propitiatorium: nec viuis solùm, sed etiam defunctis prodest.

3. Ad Cultum Dei spectat, Venerabile Sacramentum Eucharistiæ, siue consecratam Hostiam, adorare, & adorandam in altari exponere, vel in Processionibus circūferre.

4. Exhibetur Cultus Deo per vota, & per Professionē, ac vitam Monasticam, & per cælibatum voluntariè, Dei causâ, assumptum.

5. Ad Cultum Dei, & in honorem Sanctorum rectè

ædificantur templa, ſeu Baſilicæ, inſtituuntur Feſta, nuncupantur vota, Hymni, & Pſalmi decantantur, peregrinationes ſuſcipiuntur, dies precum & ieiuniorum deſtinantur.

6. Ritus varij Eccleſiaſtici in Sacramentorum, & Sacrificij adminiſtratione, in Feſtorum, & Ieiuniorum obſeruatione, & in aliquibus Sacramentalibus, ſicut in benedictione aquæ, ſalis, olei, &c. ſpectant ad Cultum Dei, & aliqui ex his poſſunt præcipi ab Eccleſia ſub onere Cõſcientiæ.

7. Imagines ſiue ſtatuæ Dei, & Sanctorum, retinendæ ſunt, ac debitâ reuerentiâ venerandæ.

8. Cultus item Reliquiarum Sanctorum, ac imprimis Crucis Chriſti, pius eſt, ac Deo acceptus.

CALVINISTARVM.

1. CVltus Religioſus ſoli Deo eſt debitus, nulli verò Sanctorum. *Cap: 5. n. 1. & ſeq.*

2. Præter Sacrificium Chriſti in Cruce peractum, nullum eſt in Nouo Teſtamento, Sacrificium incruentum propitiatorium, propriè dictum, pro viuis, & mortuis, quotidie peragendum. *Corol: 1.*

3. Repugnat Cultui Dei, Hoſtiam conſecratam ſub nomine Chriſti adorandam proponere, aut circumgeſtare. *Corol: 2.*

4. Ad Cultum Dei pertinet votum Sacrum, quo vel nos ipſos, vel res, aut actiones noſtras Deo, velut Sacrificium quoddam Spirituale, conſecramus & deuouemus. Repugnant autẽ Cultui Diuino vota Monaſtica, & Cælibatus Clericorum. *n. 5. & Corol: 8. & 9.*

5. Spe-

5. Spectat ad Cultum Dei, Templa, & ædes Sacras cõstituere, Festa etiam certis temporibus obseruare, hymnos & Psalmos Deo decantare, dies aliquos precum, & ieiuniorum, propter graue aliquod periculum, aut vrgens negotium instituere. *n. 5. 7. 9. & 11.* Non tamen licet Sanctis templa dedicare, vota nuncupare, festa dicare ad Cultum Religiosum, nisi forte (vt dicitur *n. 10.*) pro memoriâ grata, gratiæ Dei illis, aut per illos præstitæ; vel vt excitemus nos ad illorum imitationem. Nec item approbantur Peregrinationes ad loca sancta, præsertim Annis, quos vocant Iubilæis, ex persuasione singularis cuiusdam gratiæ Diuinæ, & remissionis peccatorum impetrandæ. Nec item Ieiunia, quasi meritoria & satisfactoria, & quæ in delectu potiùs ciborum, quam in defectu consistunt. *Corol: 6. 10. & 12.*

6. Ritus ad bonum ordinem pertinentes, libertati Ecclesiæ permittuntur. Non admittitur verò Consecratio aquæ, salis, olei, cerei, &c. ad vsus Spirituales, vel præternaturales; quasi ijsdem creaturis sic Consecratis, insit vis quædam ad arcenda dæmonum maleficia, vel ad salutem aliquam animæ, & corporis. *Corol: 11. & cap: 6. n. 6.*

7. Imagines Dei, & Sanctorum sculptæ, fusæ, pictæ, religioso cultu non sunt venerandæ. *Corol: 4.*

8. Reliquiæ Sanctorum non sunt colendæ, nec fiducia in illis collocanda. *Corol: 4.*

Declarationes Propositionum. §. 2.

1. Catholici Cultum Religiosum distinguunt in Cultum Latriæ, & Duliæ, siue Hyperduliæ. Cultum Latriæ illum *Cultus Latria, dulia, & hyperdulia.*

illum vocant, qui exhibetur Deo ratione Diuinæ, & infinitæ ſuæ excellentiæ. Cultum Duliæ vocant, qui exhibetur Sanctis ratione alicuius Excellentiæ ſupernaturalis, à Deo illis communicatæ per dona gratiæ, & gloriæ. Et quia Sacra humanitas Chriſti ſecundum ſe & ſeorſim conſiderata, propter vnionem ad verbum; & Sanctiſsima Virgo, ex eo quòd eſt Mater Dei, ſingularem quandam & ſpecialem Sanctitatem, & Excellentiam habent à Deo communicatam, hinc ſpecialis quoq; Cultus, qui vocatur Hyperdulia, illis tribuitur. At quicunq; tandem Cultus, ſiue honor, illis, aut cuiuis Sanctorum, tribuatur, quibuſcunq; titulis, & demonſtrationibus eis cõferatur, dummodò ſuâpte naturâ ita præcisè ſoli Deo, non conueniat, vt nulla tenus ad Creaturam poſsit deriuari; quamdiu item ratione duntaxat participatæ, & communicatæ à Deo Excellentiæ, non verò ad recognoſcẽdam in ipſis infinitam, & non participatam Excellentiam, omnis inquam Cultus ille reliquus, nunquam excedit terminos Duliæ, ſeu Hyperduliæ, neque accedit ad Cultum Latriæ.

Cultus Dei præcipuus per Missæ Sacrificium. 2. Inter præcipuos Cultus Dei, reponitur à Catholicis Miſſa, quæ eſt verum & proprium noui Teſtamenti Sacrificium. Sicut enim inter alias ſpecies externi Cultus Dei, Cultum internum conteſtantis, tam ante legem Moyſis, quàm in lege Moyſis, fuit præcipuus Cultus Dei per Sacrificia (vt benè notum eſt) ita in lege gratiæ, vbi maior & perfectior Deo Cultus exhibendus eſt, oportet aſsignare, aliquod Sacrificium externum Deo offerendum, ab his qui nõ modò ſpiritu, ſed etiam carne conſtant, & qui non ſolùm interna,

interna, sed etiam externa à Deo beneficia percipiunt. Cúq; nullum aliud suppetat quàm Sacrificium Missæ, ideò illud in Ecclesiâ Dei, semper, & toto Orbe, fuit, & est in vsu, ac in magnâ Veneratione, vel ipsorum Aduersariorum testimonijs alibi allegatis. *Vide in animad: cap: 14.*

Hinc S. Ambrosius de hoc Sacrificio per Sacerdotes offerendo, sic loquitur in Psal: 38. *Vidimus Principem Sacerdotũ ad nos venientẽ, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinẽ suum: sequamur, vt possumus, Sacerdotes: vt offeramus pro populo Sacrificium. Nam etsi infimi merito, tamen honorabiles Sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius Sermo sanctificat Sacrificium quod offertur.* S. Chrysostomus item Hom: 2. in 2. Cor: *Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue alius cuiusuis meriti Sacerdos offert, eadem est, quam dedit ipse Christus discipulis, quamq; Sacerdotes modò quoq; conficiunt: nihil habet ista, quàm illa, minùs: Cur id? quia non hanc Sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat.* *Missa Sacrificium ex SS. PP. deducitur.*

Porrò dicitur hoc Sacrificium Propitiatorium: id est, offerri pro remissione peccatorum. Si enim etiam antiqui Testamenti Sacrificia habebant hunc valorem, quantò magis Sacrificium noui Testamenti? Vnde S. Augustinus Q. 57. in Leuit: de hoc loquens Sacrificio: *illis Sacrificijs, vnum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera, fit remissio peccatorum.* Et S. Hieronymus in Cap: 1. Epist: ad Tit: *Quid de Episcopo*, inquit, *sentiendum est, qui quotidie pro suis, populiq; peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas?* *Est Sacrificiũ Propitiatorium.*

Viuis & defunctis prodest. Dicitur item non solum viuis, sed etiam defunctis prodesse; vt disertè S. Chrysostomus *Hom: 69. ad pop:* innuit: *Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur Commemoratio: sciunt enim, illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem.* Hinc Aerius antiquissimus Hæreticus, ante tempora S. Augustini, damnatus est hæresis, ob hoc specialiter dogma, inter alia, quòd negauerit Sacrificium offerendum esse pro mortuis. Videndus S. August: *L. 1. de Hæresibus, cap: 53. & Epiph: Hæres: 75.* & clariùs in Anacæphal.

Quomodo dicitur Sacrificium Spirituale; cũ sit etiam Cultus Dei externum. Dicitur deniq; idem Sacrificium, Actus Latriæ, quâ Cultus externus Deo exhibetur. Nam licet Sacrificium nouæ legis vocetur à Scripturis, & SS. Patribus, *Sacrificium Spirituale*; id tamen, cùm de hoc specialiter Sacrificio pronunciatur (nam alia quoq; Spiritualia Sacrificia nouæ legis, v. g. vota, oratio, cordis contritio, cæteraq; communia legi antiquæ, non excluduntur) intelligendum est, per comparationem ad Iudaica Sacrificia, quæ erant carnalia, in sanguine animalium: hoc autem Sacrificium, esto ritu externo perficiatur, est tamen Spirituale, & mysticum: tum quia est typicum, in quãtum repræsentatiuum Sacrificij Crucis; tum quia modo supernaturali, & virtute Spiritu Sancti peragitur; tum deniq; quia sub vmbris & figuris antiquæ legis Sacrificiorum, sicut spiritus sub carne, latebat.

Lutherus à Dæmone persuasus Missæ Sacrificium abrogabat. Hoc itaq; Missæ Sacrificium, maximæ authoritatis & æstimationis, erat in Ecclesiâ Christi per multa sæcula: ad quod abolendum Lutherus omnem conatum impendit. Cæterùm constat ex ipsomet Luthero *L. de Miss:* priuata, seu an-

ſeu angulari, qualiter à Dæmone perſuaſus, & conuictus fuerit ad abrogandum prædictum Miſſæ Sacrificium: quod ille longo proſequitur contextu. Sed optimè & argutè ex hoc ipſo mox refutatus fuit per quendam Ordinis S. Bernardi Religioſum, ſic illi ſcribentem: ***Si Miſſa abominatio eſſet, vt tu blaſphemas; an putas Diabolum contra eam diſputaturum, & ad eam abolendam argumenta ſubminiſtraturum, ac non potius modis omnibus eam ſtabiliturum, magiſq; confirmaturũ fuiſſe?*** *Videatur Florim: de Orig: Hær: l. 1. c. 15.*

3. Propoſitio tertia ſupponit in Sacramento Euchariſtiæ, contineri verum Corpus Chriſti etiam extra vſum: de quo Cap: præcedenti dictum eſt.

4. Vix eſt intelligibile quomodo Cultus Deo exhibeatur per vota, quibus aliquis ſe, ſuaſq; res, vel actiones Deo, velut Sacrificium quoddam Spirituale conſecrat, vt aſſerunt Caluiniſtæ in ſuâ Propoſitione 4. & non exhibeatur Deo Cultus per vitam, & profeſsionem Monaſticã; quod ibidem negant: quandoquidem & hîc per vota Deo facta, homo ſeipſum, ſuaſque res, & actiones, velut Sacrificium quoddã Spirituale Deo conſecrat. Hinc Apologia Confeſſ: Aug: non improbat totaliter ſtatũ Monaſticum: nam *Cap: Reſp: ad argum: Aduerſ:* de viris Religioſis, imò Religionum Inſtitutoribus honorificè ſatis ſic loquitur: ***Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, & alij SS. Patres elegerunt certum vitæ genus, vel propter ſtudium, vel propter alia vtilia exercitia.*** *Cultus Dei per vota Monaſtica.*

Ipſe Caluinus quoq; L. 4. Inſtit: c. 13. §. 15. ***Non ſic,*** inquit, ***hodie à Sanctâ illâ antiquitate Monachos degeneraſſe di-***

co, quin aliquos in suo grege bonos habeant. Vide ipsum etiam Lutherum in Propos: A. D. 1520. & seq: editis: vbi non improbat vota Religiosa, sed suum quendam imaginarium in ipsis abusum. Et subdit: *Ad libertatem pertinet sese posse perpetuo voto, aut cuicunq; legi subdere. Talis fuit Bernardi Religio, & omnium qui feliciter Religiosi fuerunt.* Cùm itaque, vel aliqui saltem sint boni in Professione Monasticâ, & aliqui feliciter Religiosi, apparet quod huiusmodi vitæ institutum, vt sic, non repugnet Cultui Dei.

Sed & idem Caluinus §. *18.* de illis viduis, de quibus Apostolus *1. Tim: 5.* queritur, quod primam fidem fregerint: *Respondemus ergò*, inquit, *quæ tunc ad publicum ministerium recipiebantur viduæ, eas sibi perpetui cælibatus conditionem imposuisse*: Et mox subiungit *eas peccasse, fidem Ecclesiæ datam fallendo.* Non repugnat igitur Cælibatus quoq; Cultui Dei, siquidem peccat, qui illum Deo vouendo, fidem fallit.

Nobis ergò Catholicis, & vita Monastica, & Cælibatus, dicitur spectare ad Cultum Dei; in quantùm per hæc expeditiorem se homo reddit ad obsequium Dei, & ardentiorem illius amorem; præcisis scilicet curis sæcularibus, & affectibus carnis: nec non ex eo (quod Aduersarij specialiter premunt) quia sicut ab initio, ita nunc quoq; florent in Religionibus studia, aliaq; exercitia vtilia ad salutem animarum. Nec obstat aliquos reperiri malos: nam & tempore S. Augustini erant aliqui Monachi mali, vt notat *in Psal: 132.* non tamen propter hoc institutum Monasticũ, ibidem damnat S. Augustinus, sed magis commendat. Et *in Psal: 75.* vota Religiosa disertis commendat verbis;

Alius

Alius, inquit, *vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus; & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum. Magnum votum vouit, vouete & reddite Domino Deo nostro.* Et post pauca: *Nemo ergò positus in Monasterio Frater dicat: Recedo de Monasterio: neq; enim soli, qui sunt in Monasterio peruenturi sunt ad regnum cælorum & illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retro respexisti, &c.* vide etiam eundem S. August: *in Psal: 80.* ad princip.

Quomodo templa ædificantur Deo, & Sanctis.

Bellarm: de Cultu SS. l. 3. c. 4.

5. Cùm dicitur, templa ædificari ad Cultum Dei, & in honorem Sanctorum, diuersimodè intelligendum est respectu Dei, & respectu Sanctorum. Nam templum propriè dicitur, quatenus erigitur ad Cultum Latriæ, soli Deo debitum: vt constat ex S. Augustino *Lib: 1. contra Maximin.* Et *Lib: contra Sermonem Arianorum*: siue, quatenus erigitur ad Sacrificia, quæ soli Deo debentur: secundùm quod idē D. Augustinus *L. 8. de Ciuit: Dei, cap: vlt:* coniungit templum cum altari, & Sacrificio: docens, cui conuenit vnum, conuenire & alia. Quatenus verò erigitur ad ornatum sepulchri alicuius Sancti, vel ad memoriam illius, vel ad specialiùs eum in tali loco inuocandum & honorandum, Basilica potiùs quàm Templum vocatur: vt sic enim non habet ad Sacrificium relationem. Sicut ergò palatia Regū dicuntur Basilicæ, sic plerumq; ædes SS. Martyrum ab antiquis Patribus, Basilicæ vocabantur, non Templa. Hinc & memoratus S. Augustinus, *L. 22. de Ciuit: Dei, cap: 10. Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut Dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis; quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus.*

bricamus. Vocantur nihilominùs eædem Basilicæ Templa, vel largo modo, vel quia simul in ipsis Sacrificium Deo offertur. Idem dicendum de Festis in honorem Sanctorum institutis, quæ principaliter Deo dicantur, & in quibus primus & præcipuus honor Deo redditur, cum memoriâ Sanctorum, & proportionato ipsis quoque honòre, siue Cultu Duliæ.

De Votis verò dicendum, quòd duobus modis possunt nuncupari Sanctis: Vno modo, sub ratione formali voti: alio modo, sub ratione materiali: sub ratione quidem formali voti, secundum quod votum est promissio cum obligatione implendi; sub ratione verò materiali, secundum ipsam materiam voti, quæ vouetur. Vota ergò Sanctis & secundum rationem materialem dicuntur nuncupari; in quantùm aliquid promittitur illis præstandum: & secundũ rationẽ formalẽ; obligationẽ sc: promissionis, non quidẽ ad ipsos, sed ad DEVM per ipsos, qui in illis habitat terminando; & cum eâ differentiâ, quòd DEO quidem vota nuncupentur in signum gratitudinis, vt ergà primum omnium bonorum principium, primumq; beneficiorum receptorũ Authorem: Sanctis verò in signum gratitudinis, velut erga Mediatores & Intercessores, & quibus mediantibus Dei beneficia nos accipere recognoscim⁹. Sic Cultus & honor iste, qui per vota nuncupata Sanctis defertur, non excedit terminos Duliæ. Fuisse verò illum in vsu, à primis sæculis cõstat ex S. Augustino, *L. 2. contra Faust: c. 3.* vbi eundẽ Faustum introducit exprobrantem Catholicis: *Idola vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Et ex Eusebio (qui

Vota quomodo SS. nuncupãtur.

floruit

floruit quarto sæculo) L. 13. de Præpar: Euang: c. 7. *Nos*, inquit, *veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaq; illis facimus, tanquam Viris Sanctis; quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.*

Quantùm ad Hymnos, & Psalmos, in honorem Sanctorum decantari, vel recitari solitos, vel etiam orationes aliquas in determinato numero persoluendas, nil in his, vltra Cultum Duliæ Sanctis congruum, admittimus, nec vllam superstitionem adhibemus; sed in memoriam alicuius mysterij, vel in testimonium alicuius pietatis, certum aliquem numerum adhibemus: quomodo S. Eliseus 4. *Reg: 5.* misit nuncium ad Naaman, dicens: *Vade & lauare septies in Iordane:* ad exprimendum scilicet mysterium septem donorum Spiritus S. quæ in Baptismo, per Iordanem præfigurato, infunduntur: sic quinquies *Pater, & Aue*, recitant Catholici, in memoriam quinq; præcipuorum vulnerum Christi Domini; Triginta tria *Pater noster*, in memoriam annorum eiusdem Christi Domini. Sexaginta tria, aut Centum quinquaginta *Aue Maria*, in memoriam annorum Virginis Sanctissimæ, vel in similitudinem Psalterij Cêtum quinquaginta Psalmos continentis. Et sic de alijs. *Hymni & preces.*

Quantùm ad Peregrinationes ad loca Sancta: non aliâ religione illas admittimus, quàm sint in Scripturis commêdatæ, & in exemplum propositæ 1. *Reg: 1. Luc: 2. Ioan: 12. Act: 8. &c.* Et prout primis quoq; sæculis vsitatæ fuere; vt constat specialiter ex S. Hieronymo *in Epist: 17. ad Marcellam*, & sæpè aliâs. *Peregrinationes.*

Quantû

Quantùm ad dies precum, & ieiuniorum, ijsdem non plus deferimus; quàm in Scripturis, & primitiuâ Ecclesiâ delatum est. Et licet pleraq; ex his, & omnibus supradictis, non contineantur in Scripturis, non propterea tamen, vt Cultus voluntarij, displicent Deo; prout sæpiùs vrget Caluinus: nam non quiuis Cultus Dei, in quo reperitur voluntas hominis, reijciendus est; alioquin nō diceret Dauid Psal: 53. *Voluntariè Sacrificabo tibi*; sed ille duntaxat, qui ita foret voluntatis nostræ proprius, vt voluntati Dei esset contrarius: vel qui sine vlla ratione, aut fructu, sed ex merâ superstitione susceptus esset. Qualiter verò hæc omnia ita ad Cultum Dei spectent, quòd etiam sint meritoria & satisfactoria, *ex Capite 5. sup:* constat.

Voluntarius Dei Cultus laudatur.

6. Ritus varij, quos in Ecclesia Dei ad mittimus, quidam sunt ex ipsis Scripturis Sacris decerpti: quidam ex antiquissimâ traditione ab Apostolis deriuati, & primis sæculis obseruati: quidam ab Ecclesiâ, pro ratione temporum instituti. Sic in Baptismo adhibetur sal, de quo *4. Reg: 2.* Adhibetur sputi & luti inunctio, de qua *Marc: 7.* Adhibetur insufflatio: de quâ *Ioan: 20.* Vnde S. August: *Lib: 6. in Iulian: c. 2.* de hâc insufflatione: *Id tu*, inquit, *commemorare timuisti, tanquam ipse à toto orbe exsufflandus, si huic exsufflationi, quâ Princeps huius mundi à paruulis eijcitur foras, contradicere voluisses.* (Et tamen Caluinus *L. 4. Inst: c. 15. §. 19.* hanc Cæremoniam Insufflationis exsufflat.) Sic adhibentur Exorcismi ab antiquissimis temporibus; vt constat ex Concilio Antiocheno Can: 10. & Carthag: IV. Can: 7. ex S. Gregorio Naz: Orat: in S. Laurent: Adhibetur item Consecratio

Ritus varij seu Cæremoniæ Ecclesiasticæ.

cratio Aquæ Baptiſmi, de quâ habet S. Dionyſ: *de Eccl: Hier: cap: de Bapt.* S. Cyprian: *L. 1. Epiſt: vlt*: S. Baſilius *L. de Sp: S. c. 27.* vbi etiam dicit hanc eſſe, *Apoſtolicam Traditionem.* Adhibetur item Vnctio Chriſmatis; de quâ habetur, præter multos alios, apud S. Ambroſium *L. 3. de Sacram: c. 1.*

7. Ritus circa Sacrificiũ Miſſæ, deſumptos agnoſcimus, ex Liturgia S. Petri, quã fusè firmiterq; propugnãt Gulelm: Lyndan: Epiſc: Gaud: *in Apol.* Franciſ: Turianus *L. 3. Charecticorum dogmatum.* Iacobus Gault: *in prima verit: primi ſæculi* §. *30.* vbi illam, per omnia ferè conformem noſtræ Liturgiæ, recenſet. Quæcunq; verò contra huiuſmodi Cæremonias, vel contenta in Canone, ab Aduerſarijs obijciuntur, planè diſſoluit Bellarminus *T. 3. de Miſſâ.* *Liturgia S. Petri.*

8. Feſtorum inſtitutionem & obſeruationem docemus, non ſolùm fieri ratione ordinis & politiæ, verùm etiã ob memoriam aliquorum myſteriorum: & quia in illis maior quædam deuotio habenda, & ſpecialis Cultus Deo exhibendus ſit. Ieiunia ſimiliter, & præſertim Ieiunium Quadrageſimæ, non modò ad pœnitentiam, & carnem per abſtinentiam refrenandam, ſed etiam ex Religione ad Sacrificium carnis noſtræ Deo immolandum, & ad Chriſti imitationem, illiuſq; inſtitutionem venerandam ſeruamus: idq; ex antiquo vſu Eccleſiæ, de quo S. Petrus Chryſologus, qui ad principium ſæculi quinti vixit, ſic fatur, Serm: 11. *Videtis*, inquit, *Fratres, quia quòd Quadrageſimam ieiunamus, non eſt humana inuentio: authoritas eſt Diuina: & eſt myſticum, non præſumptum.* Sic de alijs Feſtis, vel Ieiunijs: quæ etiam in Eccleſiâ inſtitui poſſunt, non à Magiſtratu ſæculari, ad quem *Feſta.* *Ieiunia.* *Quadrageſima.*

causæ huiusmodi, Spirituales potius, quàm Ciuiles, non spe-
Leges Ecclesiasticæ in conscientia obligant. ctant, sed à Prælatis Ecclesiasticis: imò non solum institui possunt, sed etiam sub onere Conscientiæ præcipi, vi authoritatis sibi à Christo datæ: *Quodcunq; ligaueris super terrã &c.* quod etiam ad leges ferendas refertur: Lex siquidem, à ligando dicitur. Alioquin non diceret S. Paulus *Rom: 13.* Eos qui resistunt potestati Prælatorum, quam non nisi à Deo habent, *Dei ordinationi resistere, & damnationem sibi acquirere.* Quomodo enim damnationem sibi acquirerent, si in Conscientiâ obedire statutis Prælatorum non tenerentur? Idq; *S.Th: 2.2. q. 186 a. 9. ad 3.* intelligitur etiam præciso scandalo, & contemptu: (si tamen contemptus præscindi potest ab eo, quod est, nolle absolutè obedire) cùm naturâ suâ repugnare Diuinæ ordinationi, præcisis alijs circumstantijs, malum sit, quod in conscientiâ quilibet teneatur vitare. Hoc autem non est Homines, Hominum Conscientias ad obediendum sibi ligare, sed Deo, & ipsius legi submittere; quæ Prælatis & ordinationibus illorum, tanquam suis parere, conscientias hominum obligauit.

Sacramẽtalia. 9. Sacramentalia reliqua, vt est benedictio aquæ, salis, olei, &c. in tantum, & in eo gradu à nobis admittuntur, in quo primis sæculis admittebantur. Aquæ Lustralis vsum Alexander PP. Sextus à S. Petro, circa Annum D. 121. non primus instituit, vt dicunt Aduersarij (quamuis nec hoc parum foret, Aquam lustralem, initiò fermè secundi sæculi in vsu Ecclesiæ fuisse) sed iam ante institutã confirmauit, vtq; quolibet die Dominico eius fieret benedictio, ordinauit. Et hoc patet ex Clemen: Constit: Apost: *Lib: 8. c. 35.* De benedictio-

nedictione olei habetur apud Dionysium, Clementem, Basilium, vbi sup. De benedictione panis extra Eucharistiam, apud S. August: *L. 2. de peccat: Mer: & Rem: c. 26.* De benedictione Cerei Paschalis refert Strabo: *c. 30.* Zosymus PP. qui fuit circa A.D. 418. De benedictione Palmarum, & Cinerum; S. Maximus, qui vixit circa A.D. 440. homilias instituit. De signis Crucis S. S. Hieronymus ad Eustochium, S. Chrysostomus *Hom: 55. in Matth.* S. August: *Tr: 118. in Ioan:* & ante hos Tertull: *L. de Corona Militis.*

10. Imagines Sanctas non solum retinendas, sed etiam honorandas dicimus, in quantum referunt suum exemplar: ita vt vltimatè honor imaginum redundet, & terminetur in ipsum exemplar. Subtiliores autem inquisitiones, qualinam Cultu imagines sint colendæ, an propriè? an in se? an solùm exemplar ipsum coram imagine? relinquuntur Theologorum opinionibus. Nec verò, quod aliquis Theologorum dicit, pro dogmate Vniuersalis Ecclesiæ accipiendum est. Quod pro semper velim obseruandum. Multa enim plerumq; Catholici Doctores opinando tenēt, vel ante tenuerunt, quæ si in contrarium ab Ecclesia determinarentur, reuocarent. Et si post determinationem Ecclesiæ videntur adhuc aliqui contrarium sentire, hoc contingit, vel ex inaduertentia, vel ex persuasione, quod in aliquo sensu possit sententia eorum cum Ecclesiæ sensu conuenire: illudq; vulgò per communem omnium suorum Scriptorum, censuræ & iudicio Ecclesiæ submissionem, retractant: vel si quipiam tales reperirentur, qui proteruè decretis Ecclesiæ obsisterent, illos penitus in eo casu, reijcimus.

Imagines Sacræ.

Theologi Catholici, opinantur quamdiu de contrario sensu Ecclesiæ non constat illis.

Reliquiæ SS. 11. De Sanctorum Reliquijs, & Veneratione illorum, erudimur à primis sæculis, præsertim à S. Chrysostomo, qui *in Epist: 2. Cor: Hom: 26.* de sepulchris & reliquijs Sanctorum, deq; Veneratione, & efficaciâ illorum, tam honorificè loquitur, vt piaculum videretur verba illius, esto fusiora, omittere. Sic ergò ille: *Quid de ipso Christo loquor? cùm suis quoq; discipulis, vt post mortem celebres essent & clari, largitus sit? vbi est dic quæso, Alexandri sepulchrum? mihi ostendito; ac diem quo mortuus est, dicito.* Sepulchra SS. quam gloriosa. *Seruorum autem Christi splendida sunt sepulchra, quæ vrbem maximè Regiam occupauerunt: & dies perspicui sunt, diem festum, terrarum orbi facientes. Adhæc. Sepulchrum illius, vel familiares ac domestici ignorant: huius autem etiam barbari sciunt. Quin sepulchra Seruorum Crucifixi, Regijs aulis sunt splendidiora, non ædificiorum amplitudine ac splendore, (hac etenim parte excellunt) sed quod multo amplius est, conuenientium studio. Nam & ipse ille purpura indutus, peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus, & fastu posito consistit, Sanctos rogans, vt sibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum artificem, ac piscatorem, Patronos, etiam mortuos, precatur ipse diadema gestans. Audebisnè igitur, dic quæso, horum Dominum dicere mortuum, cuius Famuli etiam mortui* SS Regũ Patroni. *huius mundi Regum sunt Patroni? Atq; id cernat quis non Romæ tantùm fieri, sed etiam Constantinopoli: Nam & hîc Constantinum illum Magnum, magno se honore affecturum existimauit Filius, si in vestibulis collocaret Piscatoris. Et quod in Regijs ianitores sunt Regibus, id in sepulchro Reges sunt Piscatoribus: & illi quidem veluti ipsius loci Domini intus habitant: hi verò tanquam accolæ ac vicini, præclarè secum agi putant, si ianuæ*

ipsis

ipsis aßignetur vestibularis. Et post aliqua in eâdem materiâ: *Hîc*, inquit, *in terrestri Dominio Principis potestati subiacet, vt subditorum quosdam soluat, alios autem vinciat. At Sanctorum ossa non hanc habent potestatem miserabilem & abiectam, sed illam multò maiorem. Dæmones enim sistunt ac torquent; & à vinculis illis acerbißimis vinctos liberant. Quid hoc tribunali terribilius, quum nullus videatur, nullus immineat dæmonis lateribus, clamores sentiuntur, dilacerationes, flagella, tormenta, dæmone non ferente; admirandam illam virtutem. Et qui corpora gestârunt, incorporeas superant potestates. Puluis, ossa, deniq; Cineres, inuisibiles illas affligunt naturas. Atqui huius spectaculi gratiâ Reges multi sæpiùs peregrinati sunt, &c.* Hæc S. Chrysostomus vnus ex antiquissimis Patribus, qui paulò præcesserat S. Augustinum. Quæ eo fine fusiùs allata sunt, quia ex illis manifestè colliguntur multa dogmata Catholica, quæ Aduersarij impugnant: qualia sunt, Cultus & Inuocatio Sanctorum, Peregrinationes ad loca Sancta, honor Reliquiarum, Miracula quæ per Reliquias Sanctorum contingunt.

Miracula ad sepulchra SS.

12. Vltimatè tandem Cultus, qui secundum Catholicos exhibetur Sacris Imaginibus, & Reliquijs, non est alius quàm qui rebus Sacris, & ad Sacra relationem habentibus, Creatis tamen & inanimatis, proportionatus est. Cùm enim Fides Catholica apprehendat hæc non esse quid Diuinum, & infinitæ ac increatæ Excellentiæ, neq; esse animata, affectus deuotionis non consequitur ad ea, nisi vt sunt apprehensa; consequenter nec ad Cultum externum sublimiorẽ, quàm prædictas res deceat, inclinat.

Qualis cultus Imaginibus & Reliquijs SS. defertur.

Depuratio ab Imputationibus. §. 3.

PRO PARTE CATHOLICORVM.

1. IMputant Caluinistæ Catholicis, cum alijs Aduersarijs, Idololatriam: ex eo quòd Catholici, Religiosum, siue Diuinum, vt aiunt, Cultum, Sanctis exhibeant, & quasi turbam minorum Deorum Summo Deo circumdent. Et quòd ille qui dicitur Cultus Duliæ, vel Hyperduliæ, Sanctis à Catholicis exhibitus, sit verè Cultus Latriæ: cùm in eo eundē honorem, eosdem titulos, easdemq; deuotiones Sanctis, & præsertim Virgini Sanctissimæ deferant, qui soli Deo debetur; & sine idololatria Creaturis deferri non possit. Sicut v. g. cùm Virginem Sanctissimam vocant suam spem & fiduciam. Matrem gratiæ & misericordiæ. Potentiam in cælo, & in terra illi tribuunt. Imperantem filio, non rogantem pro hominibus dicunt. Seruitio illius se mancipant, &c.

SS. iuxta suam excellentiā honorātur cultu duliæ, vel hyperduliæ.

Falsitas Imputationis huius ex dictis §. præcedenti, *n. 1.* constat. Non enim à Catholicis ampliùs honorantur Sancti, quàm Excellentia illorum apprehenditur. Quæ cùm apprehendatur, vt creata & participata, non verò vt diuina & infinita, Cultus consequenter, qui illis exhibetur, nō excedit terminos veræ Duliæ, vel Hyperduliæ. Hinc Sanctis non Sacrificam⁹: templa & altaria primò, & principaliter, ipsis non erigimus. Omnem deniq; honoré quē ipsis deferimus, non aliter quàm amicis Dei, & honoratis à Deo, in ipsum Deum finaliter resoluimus; iuxta illud *Psal: vlt: Laudate Dominum in Sanctis eius.* Hinc S. Augustinus Serm: 26. de SS. *Quisquis*, inquit, *honorat Martyres, honorat & Christum:*

Deus in SS. honoratur.

ſtum: & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Chriſtum. Et S. Bernardus Homil: 4. ſuper Miſſus: *Non eſt dubium quicquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere.* Ac proinde quando aliquis ſpeciali deuotione afficitur, aut particulari ſeruitio ſe mancipat alicui Sanctorum, aut ſpem ſuam in eo collocat, nequaquam intendit cultui & ſeruitio Dei renunciare, aut ſpem ſuam à Deo retrahere; imò potiùs eâ ratione, Sancto illi defert cultum & obſequiū, quatenus ille Sanctus amicus eſt Dei; atq; adeò ratione ipſius Dei, vel potiùs Deo in ipſo, deuotionem ſuam teſtatur, ſuumq; famulatum præſtat. Spem item ſuam in illo Sancto collocat, non primariò, ſed ſecundariò, non vltimatè, ſed mediatè ad Deum, hoc eſt, in Deo per ipſum.

Nec huiuſmodi vocabula tam horrida debent videri, vt videntur Aduerſarijs: cùm ipſe quoq; Apoſtolus ſuis Theſſalonicenſibus ſcribens dicat, *1. Theſſ: 2. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut Corona Gloriæ? Nonnè vos? &c.* Sic non horruit quoq; S. Bernardus *Serm: de Aquæ ductu,* de Beatiſsimâ Virgine dicere: *Filioli hæc peccatorum ſcala: hæc mea maxima fiducia eſt; hæc tota ratio ſpei meæ, &c.* *Quomodo Spes in SS. habetur.*

Similiter, quando aliqua petuntur à Sanctis, quaſi ipſi deberent tribuere, vel in ipſorum poteſtate ſit ſitum dare; nunquam intelligitur, quaſi ipſi primi ſint Authores donorum, & gratiarum, independenter à Deo; ſed ſemper ſupponitur, hæc quæ petuntur à Sanctis, obtinenda eſſe, per interceſsionem illorū, & interpoſita patrocinia apud Deum. Similiter cùm Virgo Sanctiſsima dicitur ab aliquibus Doctoribus Eccleſiæ, potiùs imperare quàm rogare Filium pro nobis;

nobis; id non alio ſenſu dicitur, quàm ad exprimendam & exaggerandam efficaciam Maternæ Interceſsionis Beatiſsimæ Virginis, præ cæteris Sanctis. Hæc & ſimilia verba prodeunt quandoque ex indulgentiori abundantia deuotionis, & pij affectus: quæ licet videantur exceſsiua, habent nihilominùs pias & congruas interpretationes, & inter Filios Eccleſiæ diſciplinatos & benè inſtitutos, in ſano ſenſu accipiuntur: neq; de his vnquam fidelis quiſpiam ſcandalizatur, ſed potiùs ædificatur.

Nec deniq; Catholici Sanctos quaſi turbam minorum Deorum Summo Deo circumdant, (quod Ethnicis, non Chriſtianis imputandum erat) ſed Patronos, & Interceſſores, velut amicos Dei, ſuæ conſcij indignitatis, apud eundem Deum interponunt, ſine præiudicio nihilominùs Chriſti, vt Cap: 3. oſtenſum eſt. Et ideo cum omnia illa, quæ in Cultu interno, vel externo, Sanctis exhibentur, ſint infra Deum, nullum eſt Idololatriæ, quæ immerito obijcitur, periculum.

In cultu SS. nulla idololatria.

2. Imputatur Catholicis, quòd per Sacrificium Miſſæ derogent Sacrificio Crucis: imò quòd Sacrificio Miſſæ, Chriſti Crucem, & Paſsionem obruant. Item: Quaſi doceant Miſſam ex opere operato iuſtificare, & delere peccata grauia, abſq; vllo peccatoris negotio. Quaſi Miſſæ Sacrificium eò directè ſpectet, vt rurſum, ſi fieri poſſet, trucidetur Chriſtus. Quaſi in Miſſa nouam Redemptionem recognoſcant; vel ſignificent Paſsioni & morti Chriſti, vim defuiſſe æternæ purgationis. Quaſi Sacerdotem, qui Miſſam offert æquiparent Chriſto, imò præferant ei; atq; ita Chriſtum co-

ftum conentur non solum suo honore spoliare, sed etiam à dextrà Patris deturbare.

Quæ tamẽ omnes Imputationes, sine vlla ratione, præterquàm ad maiorem horrorem Missæ, simplici plebi inducendum, sunt adinuentæ; à Catholicis verò remotissimæ; vt vel leuiter Religionis Catholicæ peritis, notum est. Per contrarium enim Catholici, omnem vim & efficaciam, Sacrificio altaris, tribuunt ab ipso Sacrificio Crucis, imò idem esse asserunt sola cruenti, & incruenti, distinctione; ad applicationem duntaxat meriti, ac valoris Sacrificij Crucis, & sufficientissimæ Redemptionis, à Christo institutum, & ab Ecclesiâ à primis sæculis frequentatum; non verò ad nouam Redemptionem comminiscendam: ad repræsentandam item, & in memoriam reuocandam Christi Crucem, passionem, & mortem. Sacerdotem verò non æquant, multominùs præferunt Christo, sed Christi potiùs ministrum reputant, virtute illius operantem, & per illud Sacrificium maximum honorem, & Cultum Christo deferentem; non autem ipsum de suo throno deturbantem. Effectum deniq; Sacrificij, ita ex opere operato admittũt, vt opus operantis non excludant.

Virtus Sacrificij altaris ex Sacrificio Crucis.

Vide Anim: cap: 14. & 15.

Imò adstruunt, Sacrificium etiam ex opere operato longè aliter operari suum effectum, à Sacramentis. Sacramenta enim v.g. Baptismi, & Pœnitentiæ, efficienter, & immediatè, vt instrumẽta iustificationis, cõcurrunt ad eandem Iustificationem. At Sacrificium Missæ, vt docuit S. Thom: *in 4. Sent: D. 12. Q. 2. a. 2. q* [la] *2. ad 4.* & postmodum Concilium Trident: *Sess: 22. c. 2.* iustificat quidem eos pro qui-

Quomodo Sacrificium altaris ex opere operato habeat effectum.

bus offertur, (etiamsi peccata ingentia habeant) non tamen vt causa proxima, sed impetrando gratiam, & donum pœnitentiæ: quibus mediantibus sequitur iustificatio, & peccatorũ remissio: sic porrò non excluditur, sed maximè includitur ad effectũ Sacrificij, opus operantis, in sententiâ Catholicorum.

Professio Monastica aliter Baptismus in quo sensu.

3. Imputatur Catholicis, quòd vota Monastica, non modo conferant, sed etiam præferant Baptismo. Ex eo verò hæc Imputatio desumpta, quod aliqui ex Catholicis Doctoribus, præeunte S. Hieronymo *Epist: 25.* Et S. Bernardo *Lib: de Prac: & disp: prope fin:* in sano sensu dixerint, Professionem Religiosam, esse quodam modo alterum Baptismum: quia nimirum sicut in Baptismo, ita in Professione transit homo ad aliam vitam: Et quia Professuris speciales dantur ex thesauro Ecclesiæ Indulgentiæ, ratione quarum obtinent plenariam remissionem pœnæ, ad instar illius remissionis, quæ fit in Baptismo: Alioqui latum discrimen inter Baptismum, & Professionem Monasticam, ijdem Doctores Catholici constituunt, vel ex eo (si non esset aliud) quod Baptismum vocant Sacramentum, non item Professionem Monasticam: & consequenter non attribuunt ea Professioni Monasticæ, quæ Baptismo, quâ Sacramento, attribuunt.

Ieiunium secundum qualitatẽ & quantitatem.

4. Imputatur Catholicis, *Corol: 12.* quasi apud illos Ieiunia in delectu, & non in defectu consistant. Cùm tamen notum sit, doctrinam Catholicam, rationem Ieiunij, non tantùm in qualitate ciborum, sed etiam in quantitate constituere; atq; ita non tantum in delectu ciborum, sed etiam in defectu

in defectu, & vnicâ duntaxat per diem comestione. Porrò si qui abusus in aliquibus particularibus contingunt, qui nimirum ieiunia (vt aiunt Caluinistæ) per cupædias magis, quam per inediam transigant, puritati doctrinæ Catholicæ de ieiunio, minimè præiudicat; nec ideò ieiunia improbanda: nam & Festis diebus multi abutuntur, nec tamen ideo dies Festi reijciendi sunt, & improbandi.

Ritus à Christo instututos fideliter in deposito seruant Catholici.

5. Imputatur Catholicis, *Cap: 6. tit: de Sacra Cœna, n. 14.* quasi Ritus à Christo institutos ex parte, vel ex toto, aboleuerint, & ad alios vsus & fines transtulerint. Cùm tamen nullum Ritum à Christo institutum & præceptum, vnquam Ecclesia Catholica aboleuerit, vel ad alium finem & vsum illegitimè transtulerit. Imò contendat, & ostendat, illos quos seruat Ritus, quosq; Cætus Caluinistarum reijcit, à Christo, & Apostolis esse institutos, & penes se, velut depositum, fideliter conseruatos. Si verò agitur de Communione Laicorum, sub alterâ tantum specie, de hoc dictum est suo loco. *Cap: 6. §. 2. n. 7.*

Caluin: in antid: & l. 4 Instit: & Conf: Aug: Art: 26. & Apologia sæpiùs.

6. Imputatur Catholicis, quasi summam Cultus Diuini constituant in Cæremonijs, quas Aduersarij *inuenta hominum* vocant. Dicuntq; apud Catholicos, Christianam Iustitiam, nihil aliud esse, quàm *Ciuilem & Philosophicam.* Et Christianismum nihil aliud, quam *obseruationem feriarum, rituum, Ieiuniorum, vestitus, doctrinam legis: item abrogationem Euangelij, doctrinam desperationis facticiam Religionem. Demum, Cultum Machometicum, Pharisaicum, hypocriticum.* Quæ omnia non meliùs, quàm notâ Calumniæ, & apertâ falsitate suâ confutantur. Constat enim luce meridianâ clarius,

In quo primarius Dei cultus: & in quo secundarius.

riùs, in quibus Ecclesia Catholica primarium Dei Cultum constituat, & in quibus secundarium: & pleno ore docet, summam Perfectionis Christianæ in dilectione Dei, & proximi propter Deum consistere: in reliquis verò secundariò, vel instrumentaliter tantùm.

7. Imputatur Catholicis, quasi apud eos nulla sit Cæremoniola, quæ non pro Apostolicâ censeatur. Cùm tamen eas solas recipiant pro Apostolicis, quas firmis antiquorum testimonijs probare possunt. Pro alijs authoritatem Ecclesiasticam sufficere arbitrantur.

A ritib9 Ecclesia procul omnis magia, aut superstitio.

8. Imputatur Catholicis, quasi in huiusmodi Ritibus, nec nō in alijs Sacramentalibus, siue benedictionibus Creaturarum, quandam speciem non modò superstitionis, sed etiam Magiæ & incantationum præferant. Quod certè iniuriosè admodum imponitur Catholicis. His enim vtitur Ecclesia, sine vllâ inuocatione Dæmonis, & sine vllo pacto formali, vel virtuali, siue implicito cum Diabolo; imò plerumq; cum exorcismis & execratione Diaboli, ac vbiq; cum inuocatione veri Dei, adhibitisq; signis S. Crucis: quibus potiùs effugatur semper, quàm accersitur Dæmon: de quo eleganter admodum S. Athanasius, (qui vixit sæculo quarto,) Lib: de Incarn: & Sal: Adu: Dom: *Qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ, vtatur signo Crucis ab ipsis deriso, nomenq; Christi inuocet: & videbit quomodo eius rei motu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, Magiæ & veneficia iaceant.* Hæc ille. Adhæc plerisq; Cæremonijs, & Ritibus, vtitur Ecclesia, quorum exemplum in Christo

Christo præcesſit aliquando, vt oſtenſum eſt ſuprà, §. *2. n. 6.* Omnibus item benedictionibus Creaturarum, adhibet Verbum Dei (ad quod regulariter in huiuſmodi benedictionibus ſeſe refert, illiuſq; meminit) & orationem, quâ Deum implorat: per quæ duo dicit Apoſtolus, *1. Tim: 4.* omnem Creaturam Sanctificari. Id porrò quod ad imitationem Chriſti fit, & adhibito Verbo Dei, & oratione, ſuperſtitio, aut Magia, minùs Chriſtianè profectò appellatur.

Verbum Dei, & oratio ſanctificat creaturas.

9. Imputatur Catholicis, quaſi Cæremonias, ſiue Sacramentalia, æquent Sacramentis; imò (ſi Superis placet) præferant, quemadmodum Caluinus in Antid: dicit, nos ſalem, oleum, ſputum, præferre aquæ baptiſmi. Et quod doceant Cæremonias mereri gratiam Iuſtificationis, vel naturâ ſuâ, præciſâ gratiâ, conferre ad ſatisfactionem pro peccatis, & ad alios Spirituales effectus. Cùm tamen Catholici latum diſcrimen inter Sacramenta & Sacramentalia conſtituant, quæ vtiq; extra & infra ſeriem, & efficaciā Sacramentorum, numero Septenario comprehenſorum, collocant. Nec vllū meritū propriū de condigno, primæ gratiæ agnoſcāt, vt iā aliunde, *ex Cap: 5. §. 3. n. 1.* cōſtat: Nec vllam vim merendi, aut ſatisfaciēdi, vlli actioni, præciſâ gratiâ, tribuant. Quamuis verò Sacramentalibus, aliquos Spirituales effectus, ipſis proportionatos, & ab effectibus Sacramentorum diſtinctos, attribuant: v. g. augmentum deuotionis; excitationem ad motum charitatis, quo delentur venialia; coercitionem dæmoniorum; & huiuſmodi alia: id non aſſentiendo errori Montaniſtarum, vt falsò imponunt Aduerſarij, ſed Sanctorum Patrum potiùs antiquæ doctrinæ inſiſtendo

Luth: vlt: Hom: de Bapt. Et de Captiuit: Babyl: cap: de Ord.

Inter Sacramēta, & Sacramentalia, latum diſcrimen.

Satisfactio in p.m an, & quomodo valeat? vide Bell: de Pænit: L. 4. c. 13. ad fin.

ſtendo adſtruunt: nullam ſcilicet ipſis Creaturis ex ſuâpte naturâ efficaciam, ad huiuſmodi Spirituales effectus, ſed totam virtuti Dei, & orationi, ac Sanctæ Cruci, (vt ſuprà ex S. Athanaſio ſpecialiter de Cruce oſtenſum eſt) adſcribẽdo.

10. Imputatur Catholicis, quod legem Moyſaicam contra legem Euangelij, legem Seruitutis, contra legem Euangelicæ libertatis, introducant: onerando Conſcientias fidelium pluribus Ritibus, & mandatis hominum: cùm tamen vt ait Caluinus l. 4. Inſtit: *In Euangelio promittitur libertas, quæ nullum inter homines Regem, nullumq́ Magiſtratum agnoſcat.* Hæc imputatio ſic diſſoluitur. Et primò quantũ ad hoc quod dicitur, à Catholicis Legem Moyſis introduci, propter ritus & Cæremonias quaſdam, ſimiles ritibus & Cæremonijs olim Iudaicis: reſpondetur, hoc non debere quicquam mouere Aduerſarios, aliquos ſcilicet ritus, vel Cæremonias Eccleſiæ, ſimiles eſſe ritibus & Cæremonijs antiquæ legis: cùm enim lex fuerit vmbra futurorum; vt docet Apoſtolus *Hebr: 10.* quid mirum, quod Ritus noſtri habeant aliquam ſimilitudinem cum Ritibus antiquæ legis; ſicut vmbra ad corpus, & figura ad ſuum figuratum? Alioquin nec panis ad Euchariſtiam aſſumendus eſſet, nec aqua ad Baptiſmum; quia in lege Moyſis fuit vſus Panum Propoſitionis, & aquæ expiationis. Cæterùm longè alius vſus horum eſt in Eccleſia nouæ Legis, & cum alio effectu, vt notũ.

Ritus aliqui in Ecclesia similes antiquæ legis ritibus, & quare.

Exod: 25. & Num: 19.

Secundò, quantùm ad hoc quod dicitur in ſtatu libertatis Euangelicæ, grauari homines mandatis hominum. Reſpondetur, libertatem Euangelij, non in eo ſitam, vt Gens Chriſtiana ſit ſoluta à lege obedientiæ erga ſuos Prælatos, & Paſto-

Libertas Euangelij in quo sita.

& Pastores: sed vt libera sit à seruitute legali, & oneribꝰ longè grauioribꝰ antiquæ legis Cæremonialis. Sæpiùs etenim Scriptura N. T. inculcat, obediendum esse potestati à Deo ordinatæ, & ad hoc Conscientias obligat, vt visum est suprà. Vnde & Apostolus Paulus vsus est hac authoritate erga suos, prout meminit, 1. Thess: 4. *Scitis quæ præcepta dederim vobis.* Subditq; post: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Quapropter non ad mandata hominum, quasi hominum, referenda sunt, quæ à potestate Ecclesiasticâ ordinantur; sed veriùs ad mandata Dei, qui in Conscientiâ obligauit omnem animam, sublimioribus potestatibus subditam esse, *Rom: 13.* Vnde subiungit ibidem Apostolus: *Ideo*, inquit, *necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quo loco pressus Caluinus in eodem L. 4. non satis sibi constans: *Etsi*, inquit, *leges singulæ conscientiam non attingant, generali tamen præcepto Dei tenemur, quod Magistratuum authoritatem nobis commendat, atq; in hoc cardine versatur Pauli disputatio: Magistratus, quoniam à Deo sunt ordinati, prosequendos esse.* Quasi ad præsens aliquid intersit, an leges Prælatorum Ecclesiæ, ex se, siue qua à Prælatis latæ; vt sic? an verò in virtute legis Generalis, qua Deus præcepit illis parendum, obligent in Conscientia? dummodo obligent in Conscientia.

nec excludit obedientiam Prælatis exhibendam.

Propter conscientiam obediendum Prælatis.

Tertiò deniq; quantum ad exaggerationem istius oneris, quo dicuntur in Ecclesiâ Catholicâ fideles grauari, dicendum, quòd sine causâ plebs indocta deterretur ab Aduersarijs, hac imputatione, à Religione Catholica. Constat enim omnes leges Ecclesiasticas, vniuersaliter obligantes

Leue onus in Ecclesiâ Catholicâ.

omnes

Quæ leges sub peccato mortali omnes obligant.

omnes fideles sub peccato mortali, ad quatuor duntaxat puncta reuocari: vnum est, de Festorum celebritate: alterũ, de Ieiuniorum obseruantiâ: tertium, de Paschali Communione: quartum, de annuâ Confessione. Quæ tamen omnia ex alio capite, Christiano homini facienda erant: adeò vt nõ tam noua lex aliqua videatur imponi fidelibus, quàm antiqui iuris Diuini, quædam tantùm fieri determinatio, quoad modum, tempus, vel aliquas alias circumstantias ab Ecclesiâ præscriptas,

Ea insuper lenitate hæc præcepta vniuersalia Ecclesiæ mitigantur, vt v. g. à lege ieiunij soluantur infirmi, laborãtes, Iuniores ad Vigesimum primum annum (quoad quantitatem) senes Sexaginta annorum. A lege in Festorum obseruatione, soluantur fideles in casu necessitatis, damni, & in operibus ad victum illâ die parandum necessarijs. Non sic autem erat in antiqua lege, vbi longè rigidiùs obseruabantur omnia: vt patet de illo *Numer: 15.* qui ligna colligebat in Sabbatho, & mox obrutus est lapidibus. Hinc S. August: *L. cont: Adimant: c. 16.* dixit, Festa seruare Iudaicè, esse iugum, non autem Christianè,

Benignior lex Ecclesiæ, quam leges veteris Testam.

Porrò reliqui Ritus & obseruantiæ, ab Ecclesiâ præscriptæ, potiùs sunt piæ institutiones, absq; omni obligatione culpæ, quàm aliquæ leges, conscientias onerantes: quale est v. g. sumere ramum oliuæ Dominicâ Palmarum, vel Cineres Feriâ quartâ Cinerum: aspergere se aqua lustrali, ad sonum meridianum, seu Vespertinum, vel etiam Matutinum, *Aue Maria* recitare, & sic de alijs: quæ si omittantur, nullâ culpâ conscientia læditur.

Quod

Quod si quispiam animo perfectius Deo seruiendi, ipsiq; amplius placendi, sponte, & voluntariè obliget se ad aliqua seruanda; vel talem statum assumat, cui annexa sit maior aliqua obligatio; id nequaquam libertati legis Euangelicæ derogat. Imò prout ipse Lutherus suprà allegatus, fatetur: *Ad libertatem pertinet sese posse perpetuo voto, aut cuicunq; legi subdere.*

Obligare se ad perfectiora, non repugnat libertati Christianæ.

11. Imputatur Catholicis, quasi in veneratione Imaginum, & Reliquiarum, meram committant Idololatriam, & in illis fiduciam suam collocent. Cùm tamen iam ex dictis constet, Catholicos Imaginibus, & Reliquijs Sanctorum, sicut & ipsis Sanctis, non deferre Cultum soli Deo intrinsecè debitum, sed alium longè inferiorem: nec fiduciā illos collocare in rebus inanimatis; sed in ijs Sanctis quos referunt, & ad quos relationem habent: idq; in eo gradu, quo potest in Creaturis fiducia haberi; seu veriùs non tam in Creaturis, quàm per Creaturas in ipso Deo, vt iam suprà explicatum est.

12. Imputatur Catholicis, quod dubijs & suspectis Reliquijs, imò aliquando & ipsis Sanctis incertis, cultum exhibeant. Cùm tamen errores, si qui aliquando contingunt, non sint allegandi, ad improbandum penitus Cultum Reliquiarum: maximè vbi in Ecclesiâ Catholicâ, tantâ (vt notum est) circumspectione agitur, in exponendis publico Cultui Reliquijs; vt nisi illæ authenticatæ fuerint, & authentica Locorum Ordinarijs, vel eorum Vicarijs exhibita, ab eisq; visa, & admissa, publicæ venerationi exponi nequeant. Porrò de incertis Sanctis, frustra Aduersarij contra Ecclesiā

Qua cautelâ Reliquiæ publico cultui exponuntur.

Catholicam idem vrgent, vbi per Doctores Catholicos abunde satisfactum est; & ostensum non derogari certitudini Sanctorum, licet de illorum vitâ, & morte, non constet concorditer inter Historicos: nam & de aliquibus Apostolis, & eorum cõsummatione, nil certi similiter, apud Historicos reperimus. Ecclesiæ hic authoritas, & antiqua Traditio, supplet defectum Historicorum; vt certos teneamus Sanctos, licet certam, de illorum vitâ & consummatione, notitiam, ex Historicis non habeamus.

Antitheses. §. 4.

Ex his colligitur, in quibus Contradictoriè Partes dissentiunt.

NOn enim in eo dissentiunt: An Cultus Latriæ sit soli Deo exhibendus, & nulli animatæ, vel inanimatæ Creaturæ, sine crimine Idololatriæ?

Nec in eo: An aliqui Ritus in Ecclesiâ sint seruandi, in Cultu Dei, vel in administratione Sacramentorum?

Nec in eo: An templa sint habenda, festa celebranda, & an aliquando ieiunandum sit?

Nec in eo: An Cæremoniæ legales in Ecclesiam sint introducendæ, & conscientiæ fidelium ipsis, vel alijs insupportabilibus præceptis onerandæ? Sed in his.

Dissensus Partium 1. CATHOLICI docent, Sanctis, & eorum Reliquijs & Imaginibus, Cultum Religiosum exhibendũ esse: qui vocatur Cultus Duliæ, vel Hyperduliæ, absq; vllo periculo Idololatriæ.

CALVI-

CALVINISTÆ docent, Sanctis, multò minùs eorum Reliquijs, vel Imaginibus, nullum exhibendum Cultum Religiosum: & si quis exhibetur, cum peccato Idololatriæ exhibetur.

2. CATHOLICI docent, Missæ Sacrificium, tanquā præcipuum Cultum Dei in noua Lege, admittendum esse.

CALVINISTÆ docent, nullum Sacrificium in noua Lege externum admittendum: & Missæ Sacrificium, non Cultum Dei Religiosum, sed Cultū Idololatricum iudicāt.

3. CATHOLICI docent, Hostiam consecratam, Cultu Religioso esse adorandam, & in hunc finem in altari exponendam, vel in Processionibus gestandam.

CALVINISTÆ docent, Hostiam consecratam, sine Idololatriâ non adorari, tam expositam in altari, quàm deportatam in Processionibus.

4. CATHOLICI docent, DEO exhiberi Cultum per Professionem Monasticam, & per Cælibatum.

CALVINISTÆ docent, Cultum Deo non exhiberi per Professionem Monasticam, neq; per Cælibatum.

5. CATHOLICI docent, Templa quidem propriè Deo exstruenda esse; sed tamen etiam in honorem, & memoriam Sanctorum, iuxta explicata §. 2. ædificari posse.

CALVINISTÆ docent, Sanctis Templa nullo modo ædificari posse.

6. CATHOLICI docent, Festa Sanctorum rectè institui, non solum ad reuocandam memoriam beneficiorum ipsis, vel per ipsos nobis collatorum, vel ad excitandū nos ad imitationem eorum: sed cum his, ad honorem quoq;

proportionatum ipsis deferendum: ita quòd Deo primariò, Sanctis secundariò, per illa Festa honor deferatur.

Calvinistæ docent, Festa Sanctorum, solum frequentanda ad memoriam beneficiorum ipsis, vel per ipsos collatorum, & ad excitandam imitationem illorum: nullo modo ad honorem illorum.

7. Catholici docent, posse decantari Sanctis Hymnos, & Psalmos: & posse illis vota nuncupari, eo sensu quo expositum est suprà § 2.

Calvinistæ docent, nullo modo posse decantari Sanctis Hymnos, vel Psalmos, nec illis posse vota nũcupari.

8. Catholici docent, Peregrinationes ad loca Sancta, pertinere ad Cultum Religiosum.

Calvinistæ docent, Peregrinationes huiusmodi, non pertinere ad Cultum Religiosum.

9. Catholici docent, varios Ritus, & Cæremonias, quibus de facto Ecclesia vtitur: Sacramentalia item quædam, vt sunt benedictio, & vsus aquæ, olei, cerei, &c. spectare ad Cultum Dei.

Calvinistæ docent; nihil horum spectare ad Cultum Dei, sed potiùs ad superstitionem, vel ad Magiam.

10. Catholici docent, posse ab Ecclesiâ, vel Prælatis Ecclesiæ, institui Ritus, & aliquas obseruationes: obligando fideles sub onere Conscientiæ, vt seruentur.

Calvinistæ docent, non posse ab Ecclesiâ, vel Prælatis Ecclesiæ aliquid institui, obligando fideles sub onere Conscientiæ, vt seruetur.

ACTIO SECVNDA.

Disquisitio Veritatis.

CONTROVERSIA PRIMA.

An sola Scriptura Sacra, siue solùm Verbum Dei scriptum, sufficiens sit Regula Fidei, ac morum ad salutem necessariorum, & simul Iudex Controuersiarum?

Vni, & soli Scripturæ Sacræ, duo ab Aduersarijs adscribuntur; nimirum quòd illa sola sit Regula credendi, & agendi; quo excluduntur Traditiones non scriptæ: & quòd illa sola, sit Iudex infallibilis omnium Controuersiarum; quo excluditur Iudicium Ecclesiæ infallibile. Ideò vtrumque, vnicâ quidem Quæstione comprehenditur, at duplici Conclusione, resoluitur.

PRIMA CONCLVSIO.

Sola Scriptura Sacra, sine Traditionibus non scriptis, non est adæquata Regula credendi & agendi ea, quæ sunt necessaria ad salutem.

PRobatio huius Conclusionis, petitur ex ipsâ Scripturâ Sacrâ; quæ sæpissimè inculcat Traditiones, & indicat multa fidelibus, extra Scripturam, vocetenus esse porrecta. *Traditiones SS. ex Scriptura S. probantur.*

 recta.

recta. Sic Act. 1. dicitur: *Per dies 40. apparens eis, & loquens de Regno Dei. &c.* At de his omnibus nihil S. Lucas scripto expressit, nec vllibi extat aliqua Scriptura. Non est autem credibile, ea quæ Christus post suam Resurrectionem, & in suo ex hoc mundo discessu, locutus est Discipulis, leuioris fuisse momenti, aut certè interijsse. Deuenerunt igitur ad notitiam Ecclesiæ sine scripto; consequenter per Traditionem. Item 1. Cor. 11. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et 2. Thessal: 2. *Non retinetis, quia cùm essem vobiscum, hæc dicebam vobis?* Et S. Ioannes, Epist. 3. *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum, & calamum, scribere tibi: spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.*

Replicat 1. Replicant Aduersarij: quòd Apostoli commendabant Traditiones scripto porrectas.

Sed contra est, quia quicquid sit de alijs locis, quæ ad Traditiones scripto consignatas possunt trahi, aut referri; loca allegata, (vt patet) expressè loquuntur de Traditionibus non scripto, sed voce traditis. Et 2. *Thessal:* 2. apertè S. Paulus vtrasq; Traditiones disiunctiuè ponit, & commendat disiunctiuè: *Tenete Traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Ad quem locum S. Chrysostomus: *Hinc patet*, inquit *quòd non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa, quam ista. Itaq; Traditionem quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est: nihil quæras ampliùs. Ostendit hîc multos à Traditionibus istis fuisse dimotos.* Hæc S. Chrysostomus.

Verbum scriptum & traditum eiusdē fidei.

Repli-

Replicant iterum Aduersarij: Hæc omnia verbotenus tradita, postmodum scriptis fuisse ab Apostolis consignata, vt indicat S. Chrysostomus citatus à Chamiero, *L.9. de Can: c.1. n.15.* *Replicat: 1.*

Sed contra est manifesta S. Chrysostomi, paulò ante adducta Authoritas. Etsi enim quæ vocetenus Apostolus tradiderat fidelibus, eadem postmodum per Epistolam insinuat, tamen substantia ipsa, extra Scripturam continetur. Quod si aliqua etiam vocetenus prolata, Scripturis fuerint inserta; at non omnia: quæ nihilominùs authoritatem ex æquo cum Scriptura habent, vt idem S. Chrysostomus suprà allegatus, expresit.

Sed & plures alij SS. Patres, huiusmodi non scriptis in Canonicis libris Traditionibus, plurimùm deferunt, nec minùs, quàm ipsi Scripturæ Sacræ. Sic S. Basilius L. de Spiritu S. cap: 29. *Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis Traditionibus perseuerare.* S. Hieronymus adu: Luciferianos, c. 9. *Etiamsi Sacra Scriptura authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret. Nam & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesijs obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.* Et S. Augustinus Epist: 118. *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus: quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atq; statuta retineri.* Et L. 5. contra Donat: c. 23. *Quæ vniuersa tenet Ecclesia, ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* *Traditiones ex SS. PP. probantur.*

Replicant rursum Aduersarij: Scripturam, vel SS. Patres lo- *Replicat: 3.*

tres loqui de aliquibus Traditionibus, circa Ritus & Cæremonias; non autem circa dogmata fidei necessaria: quæ omnia sufficienter in Scripturis Sacris continentur. Ideò prædictas Traditiones, non inter necessariò obligantia fideles, sed inter quædam adiaphora, recensendas esse.

Traditiones etiam in dogmatib9 fidei admittenda. Sed contra est: quamuis enim aliquæ Traditiones spectent ad Ritus, vel mores, & pro tempore variari, seu etiam abrogari possint: sunt tamen etiam aliquæ circa ipsa dogmata fidei: quibus, ex apertis suprà allegatis SS. Patrum sententijs, æqualis authoritas, & fides, cum ipsis Sacris Scripturis attribuitur. Sicut ergò Scripturis Sacris, dum per illas, non modo Ritus & Cæremoniæ aliquæ innotescunt, sed etiam quando dogmata fidei, & morum ad salutem necessaria præscribuntur; ita & Traditionibus, dum non modo Ritus & Cæremonias, sed etiam dogmata fidei, & morum necessaria ad salutem continent, æqualis fides adhibenda, & æqualis authoritas est deferenda.

Scriptura quomodo sufficiens. Quod autem in eâdem instantiâ obijcitur, Scripturam Sacram esse sufficientem; dicendum quod Scriptura Sacra in suo ordine est sufficiens, tùm quia expresè multa continet quæ sunt necessaria; tum quia illa quæ non continet, ostendit vnde sint petenda, scilicet, ex Traditionibus, in corde Ecclesiæ conseruatis; prout constat ex dictis *in Prima Actione, cap: 1. §. 3. n. 8.* Sic videmus ipsos quoq; Aduersarios, dum impugnant Traditiones, multas tamen, ab Ecclesiâ desumptas, tenere Traditiones, in ipsis etiam præcipuis dogmatibus fidei: vnde enim mysterium Trinitatis, sic conceptis explicatum verbis habent, quod nimirum sint

tres

tres hypostases, seu Personæ, in Diuinis, & vna essentia? Vnde in Christo duas naturas, in vnitate personæ, subsistere nôrunt? Vnde in Baptismo aquã naturalẽ, non artificialẽ adhibendam? verba illa, in quibus formam Baptismi constituimus, vocetenus proferenda? eundem Baptismum, etiam paruulis collatum, tenere? Beatissimam Virginem Mariam, Virginem semper fuisse? Vnde, quod Caput est, ipsam Scripturam Sacram extare colligunt, nisi ex Traditionibus? neq; enim expresse hæc omnia in Scripturâ continentur, aut euidenter, & sine contradictione multorum, deducuntur.

Replicant ampliùs Aduersarij: quicquid sit de modis, & circumstantijs mysteriorum fidei; satis est quòd ipsa substantia dogmatum fidei sufficienter inueniatur expressa in Sacris Scripturis: quam certè non expediebat Traditionibus committere; quæ nonnisi in memoriâ hominum labili conseruantur; cùm tamẽ scriptura sit securius depositoriũ. *Replic: 4.*

Sed contra est: Multi illi modi ex recensitis sunt substantiales in materia fidei, circa quos ipsos, variæ olim hæreses erant exortæ. Sicut v.g. an ita in Sanctissima Trinitate vna essentia sit, quòd tres personæ? ita tres personæ, quòd vna essentia? An in Christo ita duæ naturæ, quòd vna Persona? ita vna persona, quòd duæ naturæ, vel duæ voluntates? An DEIPARA ita fuerit Virgo, quòd etiam post partum semper fuerit Virgo? contra hæresim Heluidij. Et sic de alijs. Cùm ergò ex Scripturis hæ veritates non possint haberi, vt admittit obiectio, restat quòd ex Traditionibus petendæ sint. Saltem ergò pro his admittendæ erunt, infallibilis veritatis Traditiones. *Fidei multa mysteria ex solis Traditionibus habentur.*

 Præte-

Traditionum securitas. Præterea; quantùm ad hoc, quod additur in obiectione: Nòn securè dogmata fidei committi Traditionibus extra Scripturam: dicendum; satis prouisum fidei Catholicæ, & mysterijs eius per Traditiones porrectis. Esto enim huiusmodi Traditiones non habeamus Canonicis Scripturis consignatas, nihilominùs ad succurrendum memoriæ labili, & detrimento inde prouenienti, à SS. Patribus vicinis temporibus Apostolorum, scriptis, & Ecclesiasticis libris notatæ inueniuntur: præsertim apud S. Dionysium Areopag: cuius, & Operũ eius, meminit Origenes ad illud Ioan: *SS. Dionysius, & Ignatius vindicantur.* *Quod factum est, in ipso vita erat.* S. Athanas: Q. 8. Concilium VII. & VIII. generale. Martinus I. in Concilio Romano. Agatho in Epistola ad Imper: Constantinum: qui vtiq; vixerunt à mille circiter annis. Notatæ sunt etiam apud S. Ignatium Martyrem: cuius meminit S. Hieronymus *L. de Script: Eccles.* Hæc ideò adduco, quia nonnulli ex Aduersarijs, negant extare aliqua scripta horum duorum Sanctorum; vel non esse illorum, licet nomine ipsorum circumferantur. Videndus etiam Gaulter: circa primum sæculum, in prima verit: *§. 23. & 24.* vbi Apologiam pro libris S. Dionysij adducit.

Traditiones aque ac Scriptura S. diuiná prouidentiâ conseruantur. Tandẽ Prouidentiæ quoq; Diuinæ tribuendũ est, quòd sicut prohibuit ne Scripturæ perirent, aut deprauarentur malitiâ hominũ, custodiuitq; illas à tineis, incendijs, alijsq; iniurijs: ita & verbum non scriptum, sed traditum, continuâ Spiritus S: assistentiâ conseruauit, & custodiuit in Ecclesiâ integrum, & incorruptum: iuxta illud promissum Ecclesiæ, Isai 59. *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in*

sui in ore tuo: (Nota, *in ore tuo:* non solum in chartâ,) *non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis, seminis tui, dicit Dominus, à modo, & vsq; in sempiternum.*

Sic videre est, quòd ante legem à Moyse conscriptam, firma Religio, & doctrina de Cultu Dei, absq; vllâ Scripturâ, solâ Traditione consistebat: iuxta illud Genes: 18. *Scio quòd Abraham præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant Viam Domini.* Hinc rectè S. Irenæus L. 3. c. 4. *Quid autem,* inquit, *si neq; Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonnè oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ Gentes Barbarorum, &c. qui in Christum credunt, sine chartâ, & atramento: Scriptam habentes, per spiritum, in cordibus salutem.* Hæc de primâ Conclusione. *Ante legem Moysis, & in aliquibus locis sine Scripturâ fideles degunt.*

CONCLVSIO SECVNDA.

Præter Sacram Scripturam, necessarius est Iudex, determinans, circa varios sensus Scripturæ, & Controuersias ex illâ ortas: Et hic non est alius, quàm ipsa Ecclesia Christi.

IN hac Conclusione duo sunt probanda: vnum est, quòd præter Scripturam, necessarius sit alius Iudex Controuersiarum. Aliud est, quòd hic Iudex sit Ecclesia.

Quantùm ad primum; quomodo videlicet necessarium sit, alium esse Iudicem Controuersiarum fidei, præter Scripturam Sacram, ostensum est suprà *Act: 1. cap: 2. §. 2. n. 7.* *Prior pars secundæ Conclus: probatur primò.*

Scripturã S. pro se stare partes vtrinq; contendunt.

n. 7. & seq. Cùm enim vtraq; pars litigantium de dogmatibus fidei, alleget pro se Scripturas,& vna quæq; contendat pro se illas militare, & hunc non alium sensum habere, eo ipso constat,ex Scripturis causas huiusmodi non posse decidi, consequenter Scripturam, non posse esse Iudicem. V. G. dum vita æterna vocatur in Scriptura: *Merces:* Catholici contendunt, quòd sit propriè merces: Aduersarij,quòd impropriè. E contra, dum Concupiscentia vocatur à S.Paulo *Peccatum:* Catholici dicunt, quòd non vocetur propriè peccatum, sed impropriè: Aduersarij verò volunt, quòd vocetur propriè: & vtraq; pars allegat loca Scripturæ pro propriâ, vel impropriâ acceptione, nulla tamen allegat aliquem locum Scripturæ, ex quo euidenter, & sine tergiuersatione colligatur,hîc, & nunc,accipiendum esse hunc locũ, siue hoc vocabulum, *propriè,* vel accipiendum esse *impropriè.* Ergò ad Scripturam recurrendo, causa manet indecisa, & non iudicata. Et sic de aliјs.

Ex sola Scriptura S. manent indecisa Controuersia.

Quapropter benè S. Augustinus, *Lib: de Vnit: Eccl: Cap: 16.* à Donatistis ex Scriptura Sacra suas res probare volentibus,exigit,vt non ea colligant &commemorent, *quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisq; sicut voluerit interpretetur, secundum sensum suum, &c. Sed aliquid,* inquit, *proferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quod de aliâ re dictum sit: & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini.* Idem S. Augustinus *L. 11. cont: Faustũ, c. 2.* (qui locus infra per extensum adducetur) in simili casu de authoritate Scripturæ, quâ pressus Faustus, negabat esse veram Scripturam, & aliam sibi fauenté adducebat: *Quid si alius,*

si alius, inquit, *dicat: Imò illud quod pro te sonat, falsum est: hoc autem quod contra te est, verum est: quid acturus es?* Simili modo Aduersarios, repellentes Scripturam iuxta nostrum sensum, suumq; cõtra prætendẽtes, possumus semper refellere.

Replicant Aduersarij: Iudex supremus, non est necesse quòd dirimat Controuersias facti circa particulares circumstantias, sed tantùm Controuersias iuris, quæ sunt in communibus axiomatis: v. g. in hoc Syllogismo. Qui Filium Dei dicit inæqualem Patri in Diuinitate, Hæreticus est. Arius hoc dicit: Ergò est hæreticus: de minori, quæ est facti, non est opus quòd iudicet Scriptura, sed tantùm de maiori, quæ est iuris. Et sic de alijs, in quibus Scriptura, non iudicat Controuersias facti, sed tantùm Controuersias iuris. *Replic: 1.*

Sed contra est; quicquid sit de hoc, an supremus Iudex causas ad se deuolutas iudicando, non iudicet determinando quid facti? sed tantùm quid iuris? quod alij viderint: certè sumus in casu, qui principaliter est de quæstione iuris: v. g. An Concupiscentia vniuersaliter in renatis; non verò, an in Petro, vel Ioanne in particulari, sit peccatum verè, & propriè? Et peto decisionem Controuersiæ ex Scripturâ: adducitur locus Pauli, vt Iudex: excipio contra illum: quia non dicit ibi S. Paulus, quòd sit Concupiscentia verè, & propriè peccatum: & ex aliâ parte, colligo ex alijs Scripturis, vocari aliquid peccatum impropriè: colligo item ex alijs Scripturæ locis, hîc sumendum esse peccatum impropriè; neq; vlla Scriptura, licet multiplex in contrarium adducatur, me vrget, & suo decreto determinat, locum hunc Pau-

 li, hîc,

li, hîc, & nunc, accipiendum & intelligendum esse de peccato verè & propriè sumpto. Remaneo itaq; sine vllâ determinatâ, per Scripturam, decisione.

Replic: 2. Replicant rursum Aduersarij: Si Scriptura Sacra, ex eo quòd in varium sensum potest trahi, non potest esse Iudex; sequitur quòd nec norma poterit esse: cùm non minùs certam ac determinatam oporteat esse normam, siue legem, secundùm quam debet Iudex legitimè ferre sententiam, sicut & ipsam sententiam ferendam. Vel certè si hoc non obstat, quominùs sit Regula & norma, vt concedunt Catholici, nec debet obstare, quominùs sit Iudex, vt contendunt Aduersarij.

Scriptura S. sensus ab Ecclesiâ petendus. Sed contra est: Scripturam quidem Sacram tenemus habere sensum certum, & determinatum, à Spiritu S. intentum; quem tamen non datur cuiuis priuato Spiritu attingere; vt constat ex eo, quòd variæ Sectæ, ad varios suos errores, Scripturæ sensum distrahunt; quòd quidem euidens est, ipsos legitimum & verum sensum Scripturæ non percipere. Est itaq; Scriptura Sacra, Regula credendi, non secundùm proprium & priuatum cuiusq; sensum, sed secundum sensum suum proprium & legitimum: quem sicut nō datur cuiq; proprio & priuato spiritu assequi: ita non datur secundum conceptum cuiuscunq; sensum, de rebus fidei iudicare: sed sicut Ecclesia huiusmodi legitimum sensum assequitur, & assecutum fidelibus communicat, ita ipsa quoq; de illo iudicat, & à quouis alio illegitimo secernit; sicq; determinatum, fidelibus ad acceptandum, proponit.

Repli-

Replicant ampliùs Aduersarij: Remitti nos per Scripturam, ad scrutandam ipsam Scripturam: & allegant, nõnullos, sine alio duce, vel iudice assecutos fuisse legitimum sensum Scripturæ: & vniuersaliter promissum Spiritum S. omnibus, Ioel 2. ***Effundam de spiritu meo super omnem carnem: & Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, &c.*** **Replic: 3.**

Respondeo: Nec à Catholicis DD. prohibetur quin scrutemur scripturas, dummodò conformiter ad sensũ Ecclesiæ, non ad proprium & priuatum nostrum sensum. Quem si aliqui præter Ecclesiæ intimationem, assecuti sunt singulari priuilegio, & speciali dono gratiæ, non proinde vniuersaliter est trahendum pro omnibus. Nam etsi omnibus promissus sit Spiritus S. ille tamen ordinariè, & regulariter nonnisi per Ecclesiam, & mediante Ecclesiâ, cum omni securitate infallibilitatis fideles illuminat: extra hanc porrò viam patet aditus, multis grauissimisq; deceptionibus: præsumentibus scilicet quibuslibet, quantùmuis contraria & erronea sentientibus, sibi etiam locutum esse Spiritum S.

Probatur 2. prior Pars 2. Conclus: Scripturã S. esse scripturam S. ex ipsa nõ potest probari.

Secunda Ratio principalis, quâ prior pars Conclusionis probatur, sit ista. De ipsâ Scripturâ Sacrâ, quæ sola secundum Aduersarios vniuersa dogmata fidei continet, non cõstat quòd sit scriptura Canonica, ex ipsâ scripturâ, saltem quoad omnes libros, quos etiam Aduersarij admittunt. Vnde enim per scripturam constat omnes illas Epistolas S. Pauli, verè esse Epistolas S. Pauli, & vnam quamq; illarum esse scriptam à S. Paulo, inspirante & assistente specialiter Spiritu S. tanquam scriptori Canonico? & non potiùs vnã esse ex illis, quales familiariter fortassis aliquibus scribebat? vel qua-

vel quare potiùs Epiſtolam ad Romanos habemus pro Canonicâ, non verò Epiſtolam ad Laodicenſes, quæ aliquando circumferebatur? Cùm etiam ipſe S. Paulus *Colloſſ: 4.* meminerit Epiſtolæ ad Laodicenſes miſſæ, & aliarum Epiſtolarum ſuarum nuſquam meminit. Et ſimiliter. Vnde colligitur Euangelium S. Lucæ, eſſe librum Canonicum, non item Euangelium Nicodemi? Ampliùs. Quomodo Aduerſarius, negans mihi Librum Sapientiæ eſſe Canonicum, alteri quoq; neganti ſibi Librum Prouerbiorũ eſſe Canonicum, probabit, ſi vnicus Iudex eſt ſcriptura; cuius ſolius iudicio, neuter hac in parte conuincitur? Et ſic de alijs. Neceſſe eſt ergò, præter ſcripturam, alium quærere Iudicem.

Huc facit, quod S. Auguſtinus *Lib: 11. Cap: 2.* contra Fauſtum egit. Cùm enim ille preſſus quadam authoritate Epiſtolæ S. Pauli, reijceret illam, alteri, ſibi vt putabat fauenti, adhærens, ſic à S. Auguſtino refutandus, introducitur: *Iſte quidem vir Sanctus eſt, & omnia vera ſcripſit, & iſta Epiſtola ipſius eſt: ſed in eâ ipſa, hoc eius eſt: hoc non eſt eius.* S. Auguſtinus è contra ſuggillans, illum ſubiungit: *Cùm ex aduerſo audieris: Proba: non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, vnde hoc in aliam linguam interpretatum eſt: ſed dicas: Inde probo hoc illius eſſe, illud non eſſe; quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Tu es ergò regula veritatis? quicquid contra te fuerit, non eſt verum? Quid ſi alius ſimili inſaniâ, ſed tamen quâ tua duritia confringatur, exiſtat, & dicat. Imò illud quòd pro te ſonat, falſum eſt: hoc autem quod contra te eſt, verum eſt: quid acturus es, niſi fortè alium librum prolaturus, vbi quicquid legeris, ſecundùm*

S. Auguſtinus cõuincit Fauſtũ ſcripturas ad ſuum libitum citra authoritatem Eccleſiæ admittentem.

tuam sententiam possit intelligi? Hoc si feceris, non de aliquâ eius particulâ, sed de toto audies contradicentem, & clamantem: Falsus est. Quid ages? quo te conuertes? Quam libri à te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conatus fueris, & nihil valebis. Et subiungit postmodum, quod etiam pro altera Parte Conclusionis probandâ facit. *Vides in hac re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, vsq; ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur?* Hæc S. Augustinus.

Quæ à simili, contra Aduersarios licet retorquere: (vt vel hinc constet, causam nostram communem nobis cum S. Augustino, cuius & instrumenta probationum, nobis sunt communia) si enim illi aliquos admittunt libros Canonicos, aliquos (ex quibus quandoq; magis premuntur) vel aliquam partem illorum reijciunt; vnde quæso probant, illos potiùs, quam hos; secundùm illam potiùs, quam aliam partem, admittendos esse? Quid si alius quispiam, illos quoq; quos ipsi admittunt, pressus eorum authoritate; vel aliquã illorum partem, aut aliqua Capita, velit expungere? quomodo, præcisâ authoritate Ecclesiæ (quam S. Augustinus omnibus alijs medijs, quæ ante innuerat, hoc loco præfert) ex solis Scripturis Sacris Iudicium firmum petere poterunt, & ex illarum textu deducere, has quidem scripturas, & partes earum, quæ in Originali veteris Testamenti Hebraico idiomate habentur, esse veras & Canonicas; illas verò quæ in Græco, vel quouis alio non Hebraico idiomate habentur, *Idem retorquetur contra aduersarios.*

 esse Apo-

esse Apocryphas? Quæ enim Scriptura Sacra, hoc exprimit; sc: illa tantùm quæ Hebraicè in veteri Testamēto sunt scripta, pro Canonicis libris esse habenda, nec aliquid in ipsis Hebraicè scriptum, posse non esse Canonicum: quæ autem non Hebraicè scripta, Canonica non esse, nec pro Canonicis habenda?

Nec valet, si recurras ad aliquos Doctores, vel aliquas coniecturas: postquam enim totius Ecclesiæ authoritatem infallibilem abiecisti, quid certiùs ex particularibus Doctoribus, vel coniecturis adduces, vnde infallibiliter agnoscam veram, & Canonicam scripturam? ne infallibiles Scripturæ Sacræ veritates, fallibiles mihi fiant, si hanc eandem scripturam, illas veritates proponentem, non constiterit mihi certitudine infallibili, veram & Canonicam esse scripturam. Et quoniam ad solam Scripturam S. tanquam Iudicem infallibilem omnium Controuersiarum appellasti, ad Scripturam Sacrā mecum perge; & inde quod peto, & vrgeo, euidenter mihi demonstra, si potes. Vel certè, fatere te, non tā Scripturarum authoritati deferre, quàm proprio arbitrio succūbere, & non iudicium tuum Scripturæ Sacræ, sed Scripturā Sacram tuo iudicio submittere, prout idem S. Augustinus contra eundem Faustum, *Lib: 22. c. 19.* premit dicēs: *Videtis ergò Hæretici, id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, & suus cuiq; animus author sit, quid in quaq; scriptura probet, quid improbet: vt non authoritati Scripturarum subijciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subijciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur: sed ideo rectum scriptum videatur, quia*

hoc illi

hoc illi placuit. Quo te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te committis?

Replicant Aduersarij: & dicunt, ex quâdam Maiestate scripturæ, & speciali illius stylo, dignoscitur vera & Canonica Scriptura, à quâuis Apocryphâ; & ipsa seipsam, ab alijs quibusuis, secernit, suo charactere proprio. *Replic: 2.*

Sed contra est: Etsi enim certum sit, Scripturam Sacram habere in se quid Diuinum, & alijs quibusuis aliorum scripturis præcellere: attamen, quoad nos, ex hoc signo, difficilè potest dignosci infallibiliter, vera & Canonica scriptura, ab Apocryphâ: maximè cùm constet aliquos libros S. Scripturæ, diuersum stylum continere: vt obseruat S. Hieronymus ad Paul: & Eustoch: In translationem Isaiæ ex Hebr: de eodē Isaiâ sic loquēs. *Ac primum, de Isaia dicendū, quod in sermone suo disertus sit; quippè vt vir nobilis, & vrbanæ Eloquentiæ: nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admixtum.* E contra in Præfat: ad Ierem: *Ieremias Propheta,* inquit, *sermone quidem apud Hebræos, Isaiâ, & Osee, & quibusdam alijs Prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est: quippè qui eodem spiritu prophetauerit. Porrò simplicitas eloquij à loco ei, in quo natus est, accedit.* Et de scriptoribus Ecclesiasticis, notat S. Paulum Epistolam ad Hebræos scripsisse: *Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè:* propter quod à cæteris Epistolis eiusdem S. Pauli discrepare videtur, & ab aliquibus dubitatur an sua sit; *propter styli sermonisq; distantiam.* Cùm ergò ex vnâ parte, non idem, ac inuariabilis, in omnibus Scripturæ Sacræ libris, sit stylus; ex aliâ parte, plura scripta *S. Scriptura varius stylus.*

 aliquo-

aliquorum piorum Authorum maximam quoq; præferant grauitatem, & sanctitatem, difficilè est certò, & infallibiliter per hanc regulam, à nobis dignosci Canonicos libros: nisi ad summum coniecturaliter.

Replic: 3. Replicant rursum Aduersarij; infuso lumine fidei, seu testificatione internâ spiritus concurrente, posse aliquem infallibiliter, veras & Canonicas Scripturas, dignoscere.

Sed contra est: Quid si alius quoq; dicat V. G. in libris Machabæorũ, se eandem maiestatem & sanctitatẽ Scripturæ deprehendere; seq; similiter, vel etiam potiori iure, præditum lumine fidei, inclinari ad recognoscendos illos libros pro Canonicis? Quis vos discernet? num ad Scripturam Sacram iterum prouocabitis, vt illa determinet, hunc attigisse maiestatem & sanctitatem, librorum Sacrorum, non illum? hunc potiùs, quàm illum, verò fidei lumine illustrari & dirigi? Sic implebitur quod dictum est per Prophetam: *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet os.* Ps: 139. Vide S. Augustinum ibi in Exposit.

Posterior Pars Conclus: 2. probatur. Altera pars Conclusionis, quòd nimirùm ille Iudex debeat esse Ecclesia; probatur. Ipsa enim scriptura reuocat nos ad Ecclesiam, cùm ait Matth: 18. *Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Apparet ergò quòd iudiciũ, Ecclesiæ, à Christo, commissum sit. Nec valet si dicas in illo loco Iudicem constitui Ecclesiam, non in Controuersijs fidei, sed in causis delicti, eò quòd præcesserit: *si peccauerit in te frater tuus, &c.* Etsi enim occasio huius dicti à Christo, fuerit delictum fratris: ex eo tamen quod

quod subintulit Christus: *Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus*; videtur etiam ad causas fidei suam extendisse doctrinam, & indicasse potestatem Ecclesiæ declarandi quid sit de fide: quandoquidem eum qui Ecclesiam non audierit, vult habendum pro Ethnico, id est, infideli. Cæterùm hæc veritas, fusiùs, & solidiùs ex Scripturis Sacris, in sequenti Controuersiâ, probabitur. Nunc verò etiam ex S. Augustino probatur; qui taliter in rebus fidei ad authoritatem Ecclesiæ sese refert, vt manifestè officium Iudicis in Controuersijs fidei, atq; adeò circa ipsam S. Scripturam illi deferat. Sic videre est, præter locum suprà iam adductum, *Lib: contra Epist: Manichai, c. 5.* vbi magna cum resolutione ait: *Ego verò non crederem Euangelio, nisi me Catholica Ecclesia commoueret authoritas.* Et Lib: 28. contra Faust: c. 11. *Sicut ergò ego credo illum librum esse Manichai, quoniam ex ipso tempore quò Manichaus viuebat in carne per discipulos eius, certâ successione Prapositorum vestrorum, ad vestra vsq; tempora, custoditus atq; perductus est: Sic & istum librum credo esse Matthai, quem ex illo tempore, quo Matthaus ipse in carne vixit, non interruptâ serie temporum, Ecclesia certâ connexionis successione, vsq; ad tempora ista perduxit.* Et L. 18. de Ciu: Dei, c. 36. *Libros Machabaorum, non Iudai, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Hinc *L. 2. contra Epist: Gaudent:* appellat illos, *Scripturam Sacram*, & authoritatem illorum strenuè tuetur. Sicut ergò in hac præcipuâ Controuersiâ de veris Canonicis Libris agnoscit S. Augustinus Ecclesiæ iudicium, ita proculdubiò agnoscit in alijs controuersijs fidei.

Vera Scriptura S. per Ecclesiam innotescit.

Dicent Aduersarij; S. Augustinum intelligere, quòd per Ec- *Replic: 1.*

per Ecclesiam proponentem & testificantem, intellexerit Euangelium esse scripturam Canonicam; non autem quòd authoritate Ecclesiæ, authoritatem & infallibilitatem Scripturæ Sacræ collatam censeret: aut illam esse infallibiliter Scripturam Sacram, ex authoritate & testimonio Ecclesiæ, immobiliter conciperet.

Scriptura S. non sumit secundum se authoritatē ab Ecclesiâ

Sed contra est: duo enim in hâc obiectione inuoluuntur: vnum est, quòd S. Augustinus non dicat Ecclesiam conferre authoritatem & infallibilitatem Euangelio, vel Scripturæ: Et hoc est verissimum: nec vllus vnquam Catholicorum, contrarium tenet, aut dicit; prout imaginantur, vel imponunt illis Aduersarij. Aliud quod dicitur est, S. Augustinum nec hoc intendere, quasi ex authoritate Ecclesiæ conciperet & persuaderet sibi certò, & infallibiliter Euangelio esse credendum, tanquam scripturæ Canonicæ: siue Euãgelium habendum esse pro scripturâ Canonicâ, vt proinde illi sit credendum sicut scripturæ Canonicæ: & hoc est falsum, & contra ipsamet verba S. Augustini. Credere enim Euangelio, est credere infallibiliter. Si ergò motus authoritate Ecclesiæ credebat Euangelio, vtiq; mouebatur authoritate Ecclesiæ ad infallibiliter credendum, hoc esse verum & Canonicum Euangelium.

Pro cuius maiori intelligentiâ notandum est, aliud esse fidem, seu assensum fidei secundum se, aliud acceptationem talis fidei: & consequenter aliam esse quæstionem de vno, & de altero. Si enim quæritur à me, quare credo Euangelio? Resp: Quia est verbum Dei reuelatum: & non quæro ampliùs huius rei alteram causam; quia aliunde iam sum certus, pri-

tus, primæ veritati, quæ nec fallit, nec fallere potest, credendum esse. Quando verò quæritur à me: Quid me permouit ad acceptandum Euangelium, tanquam reuelatum à Deo? Resp: Authoritas Ecclesiæ, & consensus omnium fidelium. Et hæc quidem authoritas Ecclesiæ, cùm aliunde constet mihi esse infallibilis, vt in seq: Controuersiâ patebit, hinc ex illâ infallibiliter accepto, pro reuelato Verbo Dei, prædictum Euangelium: cui, illa authoritas Ecclesiæ, non confert authoritatem & infallibilitatem, quam alioquin secundum se, quâ Verbum Dei reuelatum, habet, nec aliunde petit; sed meum firmat assensum; idq; non vt credam reuelationi Diuinæ, quæ sola per se sufficit intellectum meum firmare; sed vt credam, hanc esse reuelationem Diuinam. Quilibet enim, vel Ethnicus Philosophus, non hæsitaret in eo: An veritati, à primâ veritate prolatæ, fides sit adhibenda? de hoc autem: An hæc particularis veritas, sit à primâ veritate, reuelata? hæsitare posset: & qui illum in hoc altero firmaret, non propterea firmaret in illo priori, de quo iam ante satis benè persuasus erat. Ita planè credere Euangelio, seu cuiuis Scripturæ Sacræ, quâ est Verbum Dei reuelatum, non facit Ecclesiæ authoritas, sed ipsa sola Dei reuelantis authoritas, citra omnem aliam authoritatem: credere verò, hanc scripturam, verè esse reuelatam à Deo; ad hoc confert authoritas Ecclesiæ; idque infallibiliter, vt infrâ patebit. *Authoritas Ecclesiæ nō scripturas, sed meum assensum firmat.*

Dicent Aduersarij: Multos credidisse, aliquos libros esse Canonicos, antequam iudicasset Ecclesia, illos esse Canonicos: vt patet de libris illis, qui vocantur Deutero canonici; *Replic: 2.*

nici; qui antequam ab Ecclesia pro Canonicis essent declarati, iam ab aliquibus pro Canonicis habebantur. Vnde & Concil: Carthag: III. refert se in illo Canone, quem texuit, ad Patres, qui præcesserunt.

Sed contra est; quia ante determinationem Ecclesiæ factam per Concilium, vel speciale aliquod decretum, iam libri illi, per Traditionem eiusdem Ecclesiæ, habebantur pro Canonicis; & sic non sine authoritate Ecclesiæ: vel si de aliquibus erat dubium, & tamen ab aliquibus iam tenebantur pro Canonicis, hoc duobus modis poterat contigisse. Vel quia illis qui dubitabãt, non innotuit sensus Ecclesiæ, his verò qui eos acceptabant innotuerat: & sic iterum firmatur nostrum intentum. Vel quia nec his quidem pro certò adhuc innotuerat sensus Ecclesiæ: illos tamen libros pro Canonicis tunc recipiebant, antequam Canonicos esse innotuisset, sed non cum infallibilitate, & omnimodâ certitudine, verùm cum solâ probabilitate, donec postmodum factâ ab Ecclesiâ declaratione, probabilitas transijt in certitudinem: sicut Conclusio, ex se scientifica, per medium probabile tantùm deducta, non cognoscitur nisi probabiliter; quousq; medio demonstratiuo, certa & infallibilis cognitio eius subsequatur.

Replic: 3. Dicent iterum Aduersarij: quo fũdamento authoritas Scripturarum, petenda est ab authoritate Ecclesiæ? Si dicamus ex Scripturâ Sacrâ colligi, eam authoritatem habere Ecclesiam: Contrà instant Aduersarij; quia sic committitur vitiosus circulus, petitur principium, & idem per idem declaratur.

Resp:

Resp: primò: Simile quid posse retorqueri cõtra Aduersarios. Cùm enim quæritur ab ipsis: vnde illi cognoscant certò, hanc esse legitimam scripturam Canonicam? Dicent; ex testificatione internâ Spiritus S. in cordibus electorum sonante, se veritatem hanc consequi. Quæritur iterum: vnde illis constat de internâ testificatione Spiritus Sancti? ex Scripturâ dicent; quia *Ioan: 10.* dicitur: *Oues meæ, vocem meam audient.* Sic per circulũ in idem reincidunt, & petunt primum principium.

Circulus qui obijcitur contra Aduersarios retorquetur.

Porrò ab hoc circulo facilè se expediunt Catholici; supponunt enim ex doctrinâ Philosophorum, tunc committi circulum vitiosum, quando hoc per illud, & illud vicissim per hoc probamus, apud eum, cui vel vtrumq; æquè ignotum, vel neutrum concessum: cùm probatio debeat procedere, vel à notioribus ad ignotiora, vel à concessis ad non concessa. Iam verò si cum Ethnicis agamus, qui negant scripturas, & Ecclesiam; non probamus illis scripturam per Ecclesiam, & Ecclesiam per scripturam: hoc enim esset verè (vt sic dicam) circulari vitiosè; sed aliunde contra illos procedimus. Si verò agamus cum nostris Aduersarijs, qui scripturas illas concedunt, in quibus authoritas Ecclesiæ commendatur, & alias non admittunt; sine vllo vitio circuli, vel petitione primi principij, probamus illas alias scripturas per Ecclesiam; nec enim cum ipsis agendo, opus rursus est probare authoritatem Ecclesiæ, quàm, si priores scripturas admittunt, supponimus eos admittere: alioquin redarguimus illos potiùs, quàm circulum cum illis facimus; quòd nimirum credant de scripturâ, quod volunt, & non

Obiectus circulus soluitur.

credant quod non volunt: iuxta illud S. Augustini, L. 17. cont: Faust: *Vndiq; tergiuersatio vestra contunditur. Apertè dicite, non vos credere Christi Euangelio: Nam qui in Euangelio, quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quàm Euangelio creditis:* Hinc idem S. Augustinus, optimus alioquin Logicus, nō verebatur circulum committere, cùm diceret similiter, L. 1. cont: Cresconium, cap: 33. *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod vniuersæ placet Ecclesiæ: quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas.*

Alio modo idem obiectus circulus soluitur. Alio adhuc modo, hanc obiectionem de circulo vitioso, soluunt Catholici, vt videre est apud Becanum *Tom: 1. Opusc: 10.* nimirùm, suppositâ distinctione, quæ data est suprà in solutione primæ instantiæ: vbi dictum est aliud esse quærere, cur id credam? aliud quærere, cur eam fidem acceptem? Si enim quæratur à me: Cur credam his quæ dicit Scriptura? Respondeo: quia sunt reuelata à Deo: non verò quia Ecclesia mihi dixit, vel fecit esse digna fide: & hîc subsisto quantùm præcisè ad hanc quæstionem; supponendo quod reuelatis à Deo tanquam à primâ veritate, quæ nec falli, nec fallere potest, omninò sit credendum, citra omne aliud testimonium. Si verò rursùm quæratur à me: Cur acceptem hæc tanquam reuelata à Deo? siue, vnde mihi constet has scripturas esse reuelatas à Deo; & pro talibus acceptandas? tunc primùm Authoritatem, & consensum Ecclesiæ adferam: idq; si disceptauero cum eo qui admittit authoritatem Ecclesiæ, & alioqui fortè ex simplicitate, nesciebat aliquem Librum S. Scripturæ, puta Paralipomenon, esse Canonicum: nam si cum eo agam, qui non admit-

admittit authoritatem Ecclesiæ, vel æquè vtrumq; ignorat, tam scripturam, quàm Ecclesiam, non ad authoritatẽ Ecclesiæ, sed ad alia principia recurram, quæ faciunt credibilem Scripturam Sacram; iuxta illud Psal: *92. Testimonia tua, credibilia facta sunt nimis*: & deducam, quomodò veritates contentæ in hâc scripturâ, tot miraculis & prodigijs sunt comprobatæ: à tot doctissimis viris, & potentissimis, ac sapientissimis Monarchis, tanquam à Deo reuelatæ, sunt acceptatæ: quomodo nil nisi Sanctum, & honestum, ac Deo dignum continent. Similiter: si primò quærat aliquis à me: Vnde mihi constat authoritatem Ecclesiæ infallibilem esse? Respondebo: Reuelatione Diuinâ. Si vlterius progrediatur, & quærat: Vnde mihi constat reuelatum esse à Deo, Ecclesiam habere infallibilitatem? Tunc quidem si cum eo disceptauero, qui admittit scripturas, ad eas recurram, sine vllâ notâ petitionis primi principij. Si verò cũ eo, qui non admittit Scripturã, egero, non ad ipsam appellabo, sed ad alia, quæ suadeant credibilitatẽ asserti, vt suprà; esto illa non conferant ad infallibilitatem assensus, sicut confert testimonium Ecclesiæ pro Scripturâ, vel testimonium Scripturæ pro Ecclesiâ, vbi illud admittitur: Res enim fidei non nisi ex principijs fidei, id est, à Deo reuelatis, probantur, siue deducuntur infallibiliter: ex alijs verò principijs credibilitatis, suaderi quidem possunt, etiam vehementer, sed non infallibiliter. Patet hoc de Iudæis, qui tanta signa *Matt*: 11. Christi viderunt: quæ si in Tyro, & Sydone facta fuissent, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent; nec tamen Iudæi signis illis conuersi fuerant, vt Christo crederent.

Replicat: 4. Replicabunt iterum Aduersarij: Si Ecclesia determinat, has esse veras scripturas, & hunc sensum illarum verum, ergò Ecclesia erit supra Sacram Scripturam.

Sed contra est: Nam Ecclesia determinando de libris scripturæ, & sensum scripturæ declarando, nullo modo, vt ex dictis patet, exercet suam Iurisdictionem supra scripturam, quam supponit in suâ secundùm se authoritate & infallibilitate; sed supra fideles, quibus declarat & determinat, quas scripturas tanquam Canonicas, & in quo sensu, tanquam legitimo, debeant acceptare.

Replic: 5. Dicent deniq; Aduersarij: imposibile esse humano modo, de rebus fidei, vniuersalis Ecclesiæ iudicium requirere & assequi: quis enim potest toto Orbe à singulis fidelibus petere, quid vnus quisq; in hac Controuersia sentiat? &c.

Consensus Ecclesiæ à Pastoribus requirendus. Resp: Vniuersalis Ecclesiæ sensus facilè percipitur, absq; eo, quòd toto orbe singuli fideles requirantur, quid in puncto Controuerso sentiant. Supponitur enim in bene ordinatâ Christi Ecclesiâ, qualem penes se Catholici recognoscunt, quòd oues non dissentiunt in doctrinâ à Pastoribus, & præsertim à supremo Pastore, ac Christi Vicario in terris: sic facilè per hos, vel hunc, toti innotescit Ecclesiæ, quòd Controuersum occurrit, factâ (vt experientiâ constat) per vniuersum orbem publicatione decretorum, siue decisionum, circa quæ oritur difficultas, & quorum est vera necessitas: ita vt v. g. ex solo exiguo Codice Concilij Tridentini sparso per orbem, immensam farraginem Controuersiarum hoc sæculo exortarum, facili negotio, vnusquisq; quantùm sibi sufficit, decisam reperiet; absq; eo quod to-

tum

tum circumeat orbem, inquirendo à singulis fidelibus, quid de illis ijsdem Controuersijs sentiant? Cæterùm de his per quos innotescit sensus vniuersalis Ecclesiæ, in sequenti Controuersiâ fusius & distinctius agetur.

CONTROVERSIA SECVNDA.

An Iudicium Ecclesiæ sit infallibile?

Bene aduertit S. Augustinus *Epist: 56.* omniũ Hæreticorum, quasi Regularem esse illam temeritatem, vt conentur authoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & pollicitatione superare. Nimirùm, quò plures plausibiliùs ab Ecclesiâ, (cuius authoritate, & iudicio, errores illorum premuntur, & profligantur) specioso titulo Sacræ Scripturæ diuertant, & pollicitationibus vanis deludant; iactant se firmioribus & solidioribus fundamentis, ipsius scilicet S. Scripturæ, niti; cùm tamen Scriptura Sacra, testimonium ferat Ecclesiæ, & infallibilitati eius; vt mox videbitur. Propositæ ergò quæstioni, duplici Conclusione respondetur.

PRIMA CONCLVSIO.

Iudicium Ecclesiæ Catholicæ est infallibile.

PRobatio huius Conclusionis ex multis Sacræ Scripturæ locis deducitur; adeò quòd meritò dixerit

 S.Aug:

S. Aug: in Psal: 147. *Quis numerat testimonia de Ecclesia toto orbe terrarum diffusa? quis numerat? Non sunt tot in orbe hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia legis pro Ecclesiâ.* Pauca ex multis adfero. Illud imprimis Matt: 16. vbi dicit Christus: *Super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Ergò si supra petram ædificata, à sapiente Architecto Christo, Ecclesia, nec pluuia, nec flumina, nec venti, nec deniq;, vt hîc ait Christus, ipsi inferi poterunt illam, à veritate fidei, in aliquam ruinam erroris præcipitare: tantò magis, quòd per illam petram, ipsi Aduersarij, fidem intelligunt. Deinde *2. Tim: 3.* Ecclesia vocatur *Columna, & firmamentum Veritatis.* Ergò fluctuantibus in Controuersijs fidei, ad ipsius sensum infallibilem recurrendum, & immobilitati illius adhærendum: alioquin si columnæ nutant, si ipsum firmamētū infirmū, quid immobile & firmū erit? Nec valet inepta, extorta, & voluntaria, quorundam explicatio, per *Columnam*, interpretantium *Custodem*, scripturæ: vt enim alia omittam, quibus eam interpretationem impugnem, hoc tantùm premo: Ostendatur euidenter ex ipsâ scripturâ; *Columnam, & firmamentum* hoc loco sumi pro *Custode.*

Ampliùs *Matth: 18.* dicitur: *Si quis non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus.* At quomodo tantum malum de proximo possum concipere, vt pro Ethnico illum habeam, eo quòd non audit Ecclesiam, si Ecclesia, quæ illi præcipit, fallibilis est? alioquin immeritò, & non sine graui iniuriâ, habendus esset aliquis Ethnicus, quia ab aliquo fallibili, falli non est passus. Nec valet si dicas, non loqui in eo loco Chri-

Christum, de submittendo se iudicio Ecclesiæ in rebus fidei, sed in iudicio facti: nam præterquam quòd à fortiori ex hoc, illud colligitur; etiam requiram, vt clarè & euidenter per ipsam Scripturam S. ostendatur mihi, propositionem illã: *Si quis non audierit Ecclesiam, &c.* non esse accipiendam vniuersaliter, exinde ad particularem casum applicandam; sed particulariter, & restrictè ad illum duntaxat casum, de quo sermo præcesserat.

Deinde eadem veritas probatur authoritatibus Sanctorum Patrum. Et imprimis S. Augustinus, *Lib: 1. cont: Cresc: c. 33.* suprà etiam citatus: *Quamuis*, inquit, *huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facinus, quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas: vt quoniam Sacra Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine vllâ ambiguitate, Sancta Scriptura demonstrat.* Si ergò contra fallibilitatem, remittit S. Augustinus ad Ecclesiam: proculdubiò eius determinationem censet infallibilem, non secus, ac si per ipsas quoq; scripturas res illa ambigua decideretur: quandoquidem ipsarum Scripturarum authoritas, secundum ipsum, adeò nobis eandem commendat Ecclesiam. Idem in Psal: 57. *In ventre Ecclesiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est vt falsa loquatur. Necesse est vt inquam falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptũ Mater excussit. Ex veritatis ore agnosco, Christum ipsam veritatem; ex eiusdem veritatis ore agnosco, Ecclesiam participem veritatis.*

Ecclesia infallibilis.

Veritas in ventre Ecclesiæ.

Si ergò

Si ergò Ecclesiæ adeò intrinsecata, imò inuiscerata est veritas, quomodo potest esse Ecclesia fallibilis; nisi dicamus per veritatem aliquem esse fallibilem? Idem Tract: 101. in Ioan: *Modicum & videbitis me: vniuersa promisit Ecclesia. Sicut vniuersa promisit. Ecce ego vobiscum sum, vsq; ad consummationem sæculi.* Ex quo habetur illam specialem Christi assistentiam, non priuatis & particularibus hominibus; sed vniuersæ Ecclesiæ immediatè factam. Idem Epist: 118. *Disputare contra id quod vniuersa Ecclesia sentit, insolentissima est insania.* Certè si illa possit falli, cõtra id disputare, non esset insolentissimæ insaniæ. Eidem infallibilitati Ecclesiæ suffragatur S. Hieron: in Ps: 135. *Ecclesia,* inquit, *non parietibus consistit, sed in dogmatũ veritate. Ecclesia ibi est, vbi vera fides est.* Et ad illud Isai 16. *Surge illuminare Ierusalem: Ecclesia,* inquit, *dicitur, vt quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesijs: & postquam surrexerit illuminetur, & nequaquam erroris habeat tenebras.* Et S. Chrysost: Serm.: de Pent: *Propter Ecclesiam vnigenitus Dei filius homo factus est, sicut dicit Paulus; qui proprio filio non pepercit, vt Ecclesiæ mederetur: Sanguinem filij effudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam, & ideò plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius, &c. non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sãcti gubernat gratia, &c.* Idẽ hom: in illud: *Venit hora, &c. veritas extra Ecclesiã nõ est, quia veritas Christus, &c.* Si ergò veritas extra Ecclesiã non est; & tamẽ est; in Ecclesia sit cõstituta necesse est, vbi & Christ⁹ est. Et S. Iræne⁹ L. 5. adu: Hær: c. 20. *Ecclesiæ prædicatio vera & firma, apud quam vna & eadem salutis via in vniuerso mundo ostenditur. Huic enim creditum*

creditum est lumen Dei. Et S. Cyprianus de Vnit: Eccles: *Adulterari non potest Sponsa Christi: incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi Sanctitatem, Sancto pudore custodit.* Idem Epist: 150. ad Cornel: *Ecclesia quæ in Christum credit, & quæ semel id quod cognouit tenet, nunquam ab eo omninò discedit.*

Contra hæc replicant Aduersarij; semper aliquos remāsisse in Ecclesiâ probos homines, penes quos stetit inuiolabilis fides. Et hoc, non aliud, inductæ probant authoritates. Replicat: 1.

Sed contra est, quod suprà *Act: 1. cap: 2. §. 3. n. 1.* ostēsum est, Ecclesiā Christi, non posse sine graui iniuriâ Christi, ad paucos illos, quos volunt Aduersarij, reduci & restringi.

Instant Aduersarij: Ex Scripturis, & Historijs colligi aliquando defectionem Ecclesiæ. Sic tempore Pasśionis Christi defecit Ecclesia à fide: propter quod legitur Christus ante Ascensionem suam, exprobrasse incredulitatem Discipulorum suorum, *Marc: 16.* Et *Daniel 9.* dicitur: *Deficiet hostia, & Sacrificium.* Et 2. Thess: 2. *Nisi venerit discesśio primùm:* id est, defectio à fide: Imò ipse Christus Luc: 18. ait: *Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra?* Tandem S. Hieronymus *adu: Lucifer:* notat, quòd temporibus Hilarij *ingemuit totus orbis: & se Arianum esse miratus est.* Sic præsentibus quoq; sæculis, pleriq; ex ipsis Catholicis conquesti sunt defectionem Ecclesiæ. Allegatur vulgò S. Bernardus, *Lib: 4. de Consid: c. 2.* vbi multos abusus recenset. Franciscus Zabarella circa A. D. 1417. in Tractatu de Schism. Ioan: Baptista Mantuanus, *Lib: 4. Fast:* Replic: 2.

ad PP. Leonem; vbi hæc inter alia ait:

Sancte Pater, succurre, Leo, Respublica Christi
Labitur, ægrotatq́; fides iam proxima morti.

Meritò itaque (cōcludunt Aduersarij) cōtra præsumentes de infallibilitate Ecclesiæ, protulit Ieremias c. 7. *Nolite cōfidere in verbis mendacij, dicentes: Tēplum Domini, Templum Domini.*

Sed contrà est, quòd similia olim obijcientibus Hæreticis, respondit Tertullianus de Præscr: c. 28. *Age nunc omnes errauerint Ecclesiæ, deceptus sit & Apostolus, de testimonio reddendo quibusdam: nullam respexerit Spiritus S. vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis: neglexit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter idem intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat. Et quid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint?* Et paucis interiectis. *Quoquo modo sit erratum, tamdiu regnauit error, quamdiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos,* (dicamus nos Lutheranos, & Caluinianos) *liberanda veritas expectabat: Interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur: tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot Sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot deniq; Martyria coronata.* Similiter Donatistis Ecclesiā interijsse, & in solis quibusdam iustis in Africâ remansisse asserentibus, opposuit se S. Augustinus *in Psal: 101.* dicentibus enim illis: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, iam non est; perijt.* Respōdet: *Hoc dicunt, qui in illâ nō sunt: O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? vide ne tu ideo non sis:*

Ecclesia non expectat reformari ab his qui ab illa deficiunt.

Ecclesiam dicunt perire, qui in illa non sunt.

fis: nam illa erit, etsi tu non sis. Et paulò post, introducit ipsam Ecclesiam conquerentem: *Quid est quod nescio qui recedentes à me murmurant contra me? Quid est quod perditi, me perijsse contendunt? &c. qui dicunt: fuit, non est: apostatauit & perijt Ecclesia de omnibus Gentibus. Quid est hoc? exiguitatem dierum meorum annuncia mihi. Et annunciauit: nec vacua fuit vox ista: Quomodo annunciauit? Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem saculi. &c. Exiguitas dierum vsq; in finem saculi erit. Exiguitas dierũ ideo quia totum hoc tempus ab Adam vsq; in finem saculi, exigua gutta est comparata aternitati.*

Dicendum ergò, quod Ecclesia toto orbe diffusa, nunquam ita deficit, vt ad particulares aliquos paucos, quales & quot Aduersarij vulgò, constricti à nostris, nominant, restringatur per tot sæcula, quot iam numerãtur, sed semper remanet cum suis, & in suis legitimis Pastoribus ac ouibus, & cum externâ gubernatione, Sacramentorum communione, & administratione: in ipsis insuper sæuis persecutionibus, maximè per Martyria clarificatur. Sic & tempore summæ persecutionis Antichristi, esto publicus Dei Cultus in Ecclesijs violenter inhibebitur, aliunde nihilominùs, & vel ipsis publicis Martyrijs, Ecclesia Christi illustrabitur.

Ad primum locum ex adductis dicendum, quòd sub tempus passionis & mortis Christi, non extinguebatur Ecclesia Christi, sed augebatur. Accessit enim Centurio, qui dixerat: *Verè Filius Dei hic erat:* accesserunt & illi, *qui reuertebantur percutientes pectora sua.* Et si aliqui fidem amiserant, de quibus erant illi duo, quos increpauit Christus euntes in castellum: *ò stulti & tardi corde ad credendum:* multò plu- *Matth: 17. Luc: 23. Luc: 24.*

tò plures tamen in fide perstiterunt: sicut Beatissima Virgo, S. Ioannes, Nicodemus, Ioseph ab Arimathiâ, qui etiam audacter introiuit ad Pilatum, petens Corpus IESV. Imò & S. Petrus, cum nonnullis saltem Apostolis, non tam fidem amisisse, quàm à publica confessione defecisse putantur. Ad secundum dicendũ, locum illum non necessariò intelligi de defectione à fide; cùm S. Hieronymus *Epist: 151.* explicet de discessione ab Imperio Romano. Quod si ab aliquibus explicetur de discessione à fide, non intelligitur de defectione omnium à fide, sed plurium aliquorum, vel intelligitur, non de discessione à fide simpliciter, sed ab eximiâ illâ fide, vel fidei feruore, qualis in paucis, illis diebus reperietur. Eodẽ modo ad tertium locum dicendum: Ad authoritatem S. Hieronymi satis fit dicendo, loqui illũ hyperbolicè: Magnam scilicet partem orbis, toto orbe significando: & plures innuendo, qui per ignorantiam, & deceptionem subscripserant hæresi Arianæ materialiter, nõ formaliter. Ad illos verò Authores Catholicos, qui Ecclesiæ defectionẽ causantur, dicendum, quòd vel intelligunt de aliquibus abusibus in materia morum, non fidei: vel si loquuntur de defectione à fide, non intelligunt de defectione totius Ecclesiæ, sed plurium aliquorum ex Ecclesiâ; vt contingit per varias hæreses, ex Ecclesiâ pullulantes: vel certè de defectu illius, vt dixi, eximiæ & feruidæ fidei. Plerosq; verò illorum, qui magis excessiuè hac in parte locuti sunt, odia quædam, & priuatæ dissensiones stimulârunt, nec locuti sunt vt membra Ecclesiæ, sed vt præcisi aliquo Schismate ab Ecclesiâ: neq; illorum authoritas, præponderat tot alijs, Scriptu-

Scripturæ,& SS. Patrum, authoritatibus, suprà allegatis. Illud demum ex Ieremiâ impertinenter adducitur ab Aduersarijs, quia ibi loquitur Propheta de templo materiali, non autem de Ecclesiâ Christi, hoc est, congregatione fidelium, in firmis & certis Christi promissis, & perpetuâ Spiritus S. assistentia, infallibilitatem & indefectibilitatem suæ fidei, & doctrinæ fundante.

Replicant Aduersarij: Assistentia, & testificatio, & illuminatio Spiritus S. promissa est, non modo Ecclesiæ, verùm etiam singulis fidelibus. Sic 1. Ioan: 5. *Qui credit in Filium Dei, testimonium habet in seipso.* Et Luc: 11. *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Et iterum 1. Ioan: 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed vnctio docet vos de omnibus:* Imò vel ipsum lumen fidei infusum est cuiq; fideli, quod illum natum est illuminare de veritatibus fidei. Cùm ergò secundùm Catholicos, singuli fidelium, esto cum huiusmodi promissis, de assistentiâ Spiritus S. & cum illuminatione fidei, possint errare, ipsa quoque Ecclesia, non obstantibus promissis de assistentiâ Spiritus S. & illuminationibus, poterit errare: & cõsequenter authoritas eius non erit infallibilis. *Replic: 3.*

Sed contra est, quod diuersa est ratio de singulis, & de Ecclesiâ totâ: Licet enim singuli quique, dum assistit illis Spiritus S. illustrando illos, & de veritate instruendo, non possint, sicut & Ecclesia errare, tamen non est ita certa & secura assistentia Spiritus S. pro singulis, sicut est certa & secura pro totâ Ecclesiâ: neq; enim singuli habent promissam sibi à Christo continuam & perpetuam assistentiam Spiritus S. & indefectibilitatem, sicut habet Ecclesia: iuxta illud

tò plures tamen in fide perstiterunt: sicut Beatissima Virgo, S. Ioannes, Nicodemus, Ioseph ab Arimathiâ, qui etiam audacter introiuit ad Pilatum, petens Corpus IESV. Imò & S. Petrus, cum nonnullis saltem Apostolis, non tam fidem amisisse, quàm à publica confessione defecisse putantur. Ad secundum dicendũ, locum illum non necessariò intelligi de defectione à fide; cùm S. Hieronymus *Epist: 151.* explicet de discessione ab Imperio Romano. Quod si ab aliquibus explicetur de discessione à fide, non intelligitur de defectione omnium à fide, sed plurium aliquorum, vel intelligitur, non de discessione à fide simpliciter, sed ab eximiâ illâ fide, vel fidei feruore, qualis in paucis, illis diebus reperietur. Eodẽ modo ad tertium locum dicendum: Ad authoritatem S. Hieronymi satis fit dicendo, loqui illũ hyperbolicè: Magnam scilicet partem orbis, toto orbe significando: & plures innuendo, qui per ignorantiam, & deceptionem subscripserant hæresi Arianæ materialiter, nõ formaliter. Ad illos verò Authores Catholicos, qui Ecclesiæ defectionẽ causantur, dicendum, quòd vel intelligunt de aliquibus abusibus in materia morum, non fidei: vel si loquuntur de defectione à fide, non intelligunt de defectione totius Ecclesiæ, sed plurium aliquorum ex Ecclesiâ; vt contingit per varias hæreses, ex Ecclesiâ pullulantes: vel certè de defectu illius, vt dixi, eximiæ & feruidæ fidei. Plerosq; verò illorum, qui magis excessiuè hac in parte locuti sunt, odia quædam, & priuatæ dissensiones stimulârunt, nec locuti sunt vt membra Ecclesiæ, sed vt præcisi aliquo Schismate ab Ecclesiâ: neq; illorum authoritas, præponderat tot alijs, Scriptu-

Scripturæ,& SS. Patrum, authoritatibus, suprà allegatis. Illud demum ex Ieremiâ impertinenter adducitur ab Aduersarijs, quia ibi loquitur Propheta de templo materiali, non autem de Ecclesiâ Christi, hoc est, congregatione fidelium, in firmis & certis Christi promissis, & perpetuâ Spiritus S. assistentia, infallibilitatem & indefectibilitatem suæ fidei, & doctrinæ fundante.

Replicant Aduersarij: Assistentia, & testificatio, & illuminatio Spiritus S. promissa est, non modo Ecclesiæ, verùm etiam singulis fidelibus. Sic 1. Ioan: 5. *Qui credit in Filium Dei, testimonium habet in seipso.* Et Luc: 11. *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Et iterum 1. Ioan: 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed vnctio docet vos de omnibus:* Imò vel ipsum lumen fidei infusum est cuiq; fideli, quod illum natum est illuminare de veritatibus fidei. Cùm ergò secundùm Catholicos, singuli fidelium, esto cum huiusmodi promissis, de assistentiâ Spiritus S. & cum illuminatione fidei, possint errare, ipsa quoque Ecclesia, non obstantibus promissis de assistentiâ Spiritus S. & illuminationibus, poterit errare: & cõsequenter authoritas eius non erit infallibilis. Replic: 3.

Sed contra est, quod diuersa est ratio de singulis, & de Ecclesiâ totâ: Licet enim singuli quique, dum assistit illis Spiritus S. illustrando illos, & de veritate instruendo, non possint, sicut & Ecclesia errare, tamen non est ita certa & secura assistentia Spiritus S. pro singulis, sicut est certa & secura pro totâ Ecclesiâ: neq; enim singuli habent promissam sibi à Christo continuam & perpetuam assistentiam Spiritus S. & indefectibilitatem, sicut habet Ecclesia: iuxta illud

Particulares possunt à fide deficere, sed non ecclesia.

Os: 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum. &c. Et sponsabo te mihi in fide.* Et Matth: vlt: *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus vsq; ad consummationem saeculi:* quod ad totam Ecclesiam, vulgò Patres, cum S. Augustino suprà adducto *ex Tract: 101. in Ioan:* referunt, non verò ad particulares. Hinc est quod singulos quosq; sicut Spiritum S. amittere, ita à fide excidere posse, concedimus: Ecclesiam autem, sicut vi promissorum Christi, & pactorum cum illâ, non posse Spiritum S. amittere, ita nec à fide excidere, asserimus.

Cæterùm primus ille in Obiectione locus Scripturæ, nõ facit ad rem: loquitur enim S. Ioannes in eo loco de testimonio bonæ Conscientiæ, non autem de testificatione Spiritus S. quod scilicet, talis homo, nõ sit obnoxius fallibilitati. Nec locus secundus. Nam si intelligatur de cognitione infallibili mysteriorum; qui in hunc finem petit spiritum bonum, dabitur illi, sed via Dei ordinariâ, quâ inferiora illuminat per superiora. Si enim, vt ait Apostolus Eph: 3.

Per Ecclesiam Angelis mysteria innotescũt

Per Ecclesiam multiformis sapientia Dei innotuit Principatibus, & Potestatibus in cælestibus: quomodo non magis per Ecclesiam innotescit priuatis hominibus in terris? Siue enim cũ SS. Hieronymo, Ambrosio, Anselmo, Chrysostomo, Cyrillo, &c. intelligas dictum de Ecclesiâ terrestri: siue cum S. Augustino de Ecclesiâ cælesti, vtrobiq; ex æquo habetur intentum: Nam si in cælis quoq; particularibus Angelis, per Ecclesiam cælestem, innotescunt mysteria Dei, quanto magis in terris, per Ecclesiam, quæ est typus illius cælestis Ecclesiæ, mysteria Dei, priuatis quibusq; innotescent? Et idem dicendum ad tertiũ, quod videlicet vnctio Spiritus S. doceat

doceat nos de omnibus: at regulariter, & exceptis extraordinariè priuilegiatis, nonnisi per Magisterium Ecclesiæ: alioquin si vnctio Spiritus S. immediatè docet omnes, ad quid ipse B. Ioannes illam Epistolam, imò & Euangeliũ scripsit, erudiendo fideles?

Ad illud deniq; quod additur de lumine fidei infuso, dicendum, quod lumen quidem fidei ad hoc confert, vt intellectum eleuet supra ordinem & facultatem naturalem, & confortet ad percipienda supernaturalia mysteria fidei sibi proposita, atq; vt, ad firmũ illis assensum, inclinet. Cæterùm ipsum lumen fidei non proponit ea, quæ sunt firmiter tenenda, neq; dignoscit inter fallibilem & infallibilem veritatem, nec deniq; vllo priuilegio est inamissibile in priuatis & particularibus hominibus; quæ omnia apertâ constant experientiâ. Esto enim in Baptismo alicui infundatur lumen fidei; nisi tamen ille cathechizetur, & in mysterijs fidei erudiatur, nil plus de illis, quam ante sciet. Si item ab aliquo rudi, vel malitioso, aliqua erronea dogmata illi proponantur, potest decipi & assentiri illis, errando saltem materialiter, licet nõ formaliter; si præsertim dicatur illi subdolè, hunc esse sensum totius Ecclesiæ. Tandem quotquot per hæresim à verâ Christi Ecclesiâ deficiunt, fidem habitam amittunt. Et ideo pensatis his omnibus, dispar est ratio de priuatis hominibus, & de vniuersali Ecclesiâ Christi. Vnde & ipse Lutherus, *Lib: de Potest: Papæ*, ait: *De nullo priuato homine certi sumus, habeat, nec ne? reuelationem Patris: Ecclesia autem ipsa est de quâ dubitare non licet.* *Lumen fidei quid operatur.*

Replicant rursum Aduersarij: Ecclesia non illuminatur se- *Replic: 4.*

tur secundùm Catholicos per immediatam reuelationem, & assistentiam Spiritus S. sed mediatè: mediantibus scilicet inquisitionibus, & discussionibus doctrinæ controuersæ. Licet ergò immediata Spiritus S. assistentia, & illuminatio, siue reuelatio, importet infallibilitatem (sicut erat in Prophetis, & Apostolis) non tamen mediata: cùm illa media subiaceant varijs defectibus & erroribus: sicut de facto aliqui etiam SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ, esto mediatè assisteret illis Spiritus S. tamen in aliquos errores inciderunt. Imò fatentur ipsi Catholici posse Ecclesiam, non obstante assistentiâ Spiritus S. errare in Controuersijs facti particularibus, quæ ex informatione, testimonijsq; hominum præcipuè pendent.

Ecclesia sicut in veritatis cognitione ita in inquisitione nō deficit.

Sed contra est: Quòd ille idem Spiritus S. qui prohibet, ne in cognitione veritatis fallatur Ecclesia, prouidet etiam ne in inquisitione illius aberret: non minùs enim efficax est, & verax, mediatè, ac immediatè reuelans. Et cùm Christus promiserit Ecclesiæ firmitatem fidei, non deerit etiam illi in medijs & diligentijs debitis, quibus firmitas illa conseruetur: sicut quibus promittit salutem, simul & media salutis prouidet. Diuersa autem ratio de particularibus aliquibus SS. Doctoribus, si in aliquo forte noscuntur aberrasse: neq; enim cum vllo illorum in particulari tale pactum Deus inijsse noscitur, quale cum Ecclesiâ; vt ex dictis constat.

Diuersa ratio in dogmatibus fidei ac morum, & in causis forensibus.

Ad illud deniq; quod in fine additur, dicendum, quòd aliud est loqui de his quæ pertinent ad fidem, & mores necessarios ad salutem fidelium, & deciduntur per scrutinium Verbi Dei: aliud verò de causis forensibus, & decisionibus per scru-

per ſcrutinia teſtimoniorum humanorum de factis contingentibus: circa primum (vt iã ex dictis conſtat) promiſſa eſt Eccleſiæ aſsiſtentia Spiritus S. & infallibilitas: non verò circa alterum. Et ideo non ſequitur, vt ſi qui errores contingant in ſecundo, in primo etiam poſsint contingere.

Replicant iterum Aduerſarij: Non obſtante tali aſsiſtentiâ Spiritus S. de facto aliqui errores deprehenſi ſunt à Luthero, & Caluino, alijſq; eorum aſſeclis, irrepſiſſe in Eccleſiam: quos illi produnt, & probant in ſuis ſcriptis. *Replic: 5.*

Sed contra eſt: de hoc enim eſt quæſtio, an Eccleſia errauerit? an Aduerſarij, damnando Eccleſiam erroris, & contraria Eccleſiæ dogmata inuehendo? Probant ipſi contra Eccleſiam: probat Eccleſia contra illos. Et quidem Aduerſarij imputant aliquos Eccleſiæ noſtræ errores, quos antiquis quoq; Patribus priorum ſæculorum, non verentur imponere. Sic Caluinus *Lib: 2. Inſt: c. 4. §. 38.* & *Lib: 3. c. 11. §. 10.* circa articulum de ſatisfactione. Et *c. 2. & 3.* circa articulum de libero arbitrio. Et *Lib: 3. c. 3. §. 10.* circa concupiſcentiam. Et *Lib: 3. c. 5. §. 5.* circa ſuffragia pro defunctis. Et *Lib: 3. c. 15. §. 2.* circa meritum. Et ſic de pluribus alijs, de quibus videndus eſt Grauina *Lib: 4. Præſcr: de PP. Auth: Q. 3. a. 6.* Similiter & Lutherus, vt alibi iam notatũ eſt. Quibus primò illud S. Bernardi libet opponere *ex Epiſt: 77.* vbi de S. Auguſtino, & Ambroſio loquens: *Ab his,* inquit, *columnis, crede mihi, difficilè auellor. Cum his inquam me, aut errare, aut ſapere fateor.* Sic & modernæ Eccleſiæ noſtræ, magis placet errare, ſecundùm opinionem Aduerſariorũ, cum antiquâ Eccleſiâ, & eius Doctoribus, quàm cum ipſis,

 ſine qui-

sine quibus hactenus fuit mundus Christianus, vt alibi ait S. Hieronymus, sapere.

Fidei res non probātur euidenter, sed rationes contra fidem soluuntur euidenter positiuè, vel negatiuè.

Porrò duobus modis potest aliquis se ab obiecto errore vindicare: vno modo probando euidenter, id quod tenet, esse verum & non erroneum: alio modo soluendo euidenter, imputantium sibi errorem, rationes. Ecclesia ergò Catholica non potest euidenter probare fidei suæ dogmata, seu veritates: res enim fidei euidenter probari non possunt, quia ipsa fidei natura quam dixit, Sanctus Paulus Hebr: 11. *Argumentum non apparentium*: excludit omnem euidentiam: Nihilominùs quæcunq; contra illam proferuntur argumenta, euidenter positiuè, vel euidenter negatiuè (vt vocant Theologi) soluere potest: Euidenter positiuè soluitur argumentum, cùm aut propositio assumpta ad probandum, ostenditur falsa euidenter, siue quia v.g. falsò, & non fideliter citatur authoritas, vel textus: (vbi præsertim in illa solâ authoritate totum nititur) siue quia Contradictorium assumpti, ostenditur euidenter verum: aut cũ vitium aliquod consequentiæ euidenter ostenditur, & similibus aliquibus irrefragabiliter conuincitur. Sic multa plerumq; Aduersariorum argumenta soluuntur. Euidenter verò negatiuè soluitur argumentum, cùm constat euidenter assumptum non conuincere intellectum ad sui assensum, sed posse ita negari, vel distingui, vt nunquam posit ab Aduersario ita probari, vel vrgeri, quin semper constet euidenter, non conuincere. Sic omnia Aduersariorum argumenta soluuntur à Catholicis: cum quibus Aduersarij disputando, nunquam eo vsq; deuenerunt, vt insolubilè euidenter argumentum aliquod proponerent. Quod si

Quod si hoc idem iactent pro se Aduersarij, & dicant nunquam se talibus à Catholicis constringi argumentis, vt euidenter appareant conuicti, quin suis solutionibus euadant: Ad hoc dicimus imprimis cum S. Cypriano Lib: de Lapſ: *Alta & erecta est Hæreticorum ceruix: nec quia cecidit, inflexa est. Tumens animus & superbus, nec quia victus, fractus est; iacens stantibus, & integris, vulneratus minatur.* Deinde dicendum, quòd pro Ecclesiâ nostrâ Catholicâ præponderat antiquitas, ac totius orbis, eo modo, quo ad rationem Catholicismi sufficit, vniuersalis consensio; præponderat tot sæculorum præscriptio, & firma possessio; iuxta quod eleganter admodum, ex Personâ Ecclesiæ, Tertullianus *Lib: de Præscr: c. 37.* expostulat cum vniuersis Sectarijs: *Qui estis? quando? vnde venistis? Quid in meo agro agitis non mei? Quo deniq; Marcion,* (Luthere, Caluine, &c.) *iure syluam meam cedis? Quâ licentiâ fontes meos transuertis? quâ potestate limites meos commoues? Mea est Possessio: quid hîc cateri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est Possessio: olim possideo: prior possideo: Habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum: sicut cauerunt, sicut fidei comiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo.* Hæc ille.

De firmâ possessione & præscriptione Ecclesiæ nostræ, vide Grauin: Lib: 2. præscriptionum. Præsc: 4.

Si itaq; nos sumus possessores, & antiquissimam Præscriptionem pro nobis allegamus, Aduersarijs sanè, qui à nobis exierunt, & prætextu Reformationis prætensæ, Ecclesiam nostram, tanquam inuasores aggressi sunt, primò & principaliter incumbit Partes Arguentis, & Impugnantis age-

Aduersarij oppugnantes: Catholici propugnantes

Partes debent tenere. tis agere: penes nos verò ius eſt, primò & principaliter Reſpondentis, ſiue Defendentis Partes ſuſtinere: & nonniſi per accidens Partes arguentis quandoq; aſſumere. Ac proinde illi quidem tunc triumphare poſſent, non ſi noſtra ſoluerent argumenta euidenter negatiuè, ſed ſi euidenter nos de erroribus, ſuis probationibus, conuincerent: quod hactenus non præſtiterunt. Penes nos verò tunc eſt victoria, vbi inexpugnabiles, per Aduerſariorum argumenta, veritates noſtræ, euadunt, & obiectionum ſolutionibus, poſitiuè, vel ſaltem negatiuè euidentibus, integræ remanſiſſe oſtenduntur.

Replic: 6. Vltimò deniq; poſſunt replicare Aduerſarij: Quicquid ſit de infallibili authoritate Eccleſiæ Chriſti vt ſic: necdum tamen obtinent intentum Catholici: quia Eccleſia quæ eſt apud illos, non eſt illa vera, & infallibilis authoritatis Eccleſia.

Sed contra eſt: quia Aduerſarij per talem replicationem, non ſtant in terminis. Dicunt enim veram Chriſti Eccleſiam defeciſſe, & erroribus corruptam eſſe: propter quod ipſi eiuſdem Eccleſiæ vocant ſe Reformatos. Ego autem hactenus probaui Eccleſiam Chriſti, non poſſe deficere, aut erroribus corrumpi: Et hoc dictum tanquam erroneum, & hæreticum improbaui, ſicut à Tertulliano, & S. Auguſtino, ſuis temporibus, tanquam erroneum, & hæreticum improbatum eſt, contra nonnullos Hæreticos, vt ex dictis patet. Inde poſtmodum deduco, ſi Eccleſia non eſt corrupta in doctrinâ fidei, nec noſtra corrupta: penes nos enim ſemper fuit: nam & penes nos, tanquam corruptam, iſti

isti reformare præsumebant. Cæterùm ex dictis *Act: 1. cap: 2.* §. 2. constat, quomodo vera Christi Ecclesia, cum suis legitimis notis, penes nos inueniatur. Hæc de Primâ Conclusione.

SECVNDA CONCLVSIO.

Iudicium illud infallibile Ecclesiæ, de quo hactenus dictum est, innotescit fidelibus, siue per infallibilia decreta Summi Pontificis, siue per infallibilia decreta Conciliorum legitimorum.

DVo in hac Conclusione sunt probanda: Vnum de infallibilitate decretorum Summi Pontificis, aliud de infallibilitate decretorum Conciliorum legitimorum: per quæ duo (prout aliâs ex superioribus constat) sensus totius Ecclesiæ innotescit: cùm oues à Pastoribus erudiantur in doctrinâ fidei: & consequenter eandem totius Ecclesiæ oporteat esse fidem, quæ est Pastorum.

Quantùm ad primum: Infallibilitas Summi Pontificis constat ex Scripturis: dictum est enim B. Petro, Luc: 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Ex contextu autem euidenter constat, de ipsa persona Petri loqui Christum, quem bis suo nomine compellauit: *Simon, Simon:* & contraposuit illum pluribus: de quibus, cùm immediatè ante dixisset: *expetiuit Sathanas, vt cribraret vos,* mox ad solum Petrum diuertens, prout etiam S. Chrysost: notauit: *Ego autem pro te rogaui, &c.* Et rursum: *Confirma fratres tuos.* Ad quem locum

Infallibilis authoritas Papæ in dogmatibus fidei.

locum S.Chryſoſt: Hom: 83.in Matth: *Non dixit: non negabis: ſed vt non deficiat fides tua. Curâ enim ipſius & fauore factum eſt, ne omninò Petri fides euaneſceret.* Et S. Leo, Ser: 3. de Aſſ: ad Pontif: *Specialis cura Petri à Domino ſuſcipitur: & pro fide Petri propriè ſupplicatur; tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergò omnium fortitudo munitur, & Diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.*

Replic: 1. Inſtant Aduerſarij; & adducunt aliquos Patres, qui denegant Primatum Eccleſiæ Petro, & deferunt alijs, ſpecialiter S. Iacobo, tanquam Ieroſolymorum Epiſcopo. Sic Epiphanius *hæreſ: 78.* & alij.

Primatus Petri, & Succeſſorum. Sed contra eſt: quod S. Iacobus erat quidem Epiſcopus primæ pro tunc Eccleſiæ ex particularibus Eccleſijs; at ſine præiudicio S. Petri: qui cùm eſſet Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ, erat etiam in ſuo ordine Epiſcopus Hieroſolymæ. Vnde S. Bernardus L. 2. de Conſider: *Iacobus vna Hieroſolyma contentus, vniuerſitatem Petro cedit.* Et S. Auguſt: L. de Paſt: c. 13. *Multi erant Apoſtoli: & vni dicitur: Paſce oues meas.* Vide plura circa hoc, præter alios, apud Bellarm: *de Rom: Pont: L. 1. c. 26.* vbi licet abundè hæc obiectio pridem à Luthero propoſita (ſicut & plura alia contra Primatum S. Petri) ſoluta reperiatur, nihilominùs etiam moderni quidam Aduerſarij eadē vrgent, nil noui & ſolidi contra ſolutiones datas adferentes.

Replic: 2. Inſtant iterum Aduerſarij: Quicquid ſit de Petro, non conſtat Romanos Pontifices ſucceſsiſſe illi, præſertim cum Priuilegijs infallibilitatis.

Sed

Sed contra est, quod succeſsiſſe S. Petro, Romanos Pontifices, agnoſcit, & deducit S. Auguſtinus *Epiſt: 165.* Et *L. contra Epiſt: Fundam: cap: 4.* eâ, inter alia, ſucceſsione ſe in hac Eccleſiâ teneri affirmat. Ex eâdem ſucceſsione Pontificum Romanorum, conuincit Tertullianus *L. de Praſcr:* Hæreticos. Quod verò Romani Pontifices ſucceſſerint cum eodem priuilegio indefectibilitatis in fide, teſtatur Concilium Chalcedon: *Act: 6.* vbi cùm Epiſtola S. Leonis PP. lecta fuiſſet, acclamauerunt Patres: *Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt.* Teſtatur & S. Chryſologus *in Epiſt: ad Eutichetem,* quæ ante Concilium Chalcedonenſe habetur: vbi hæc ait: *Hortamur te frater honorabilis, vt his quæ à Beatiſsimo Papa Romanæ Ciuitatis, ſcripta ſunt, obedienter attendas, quia B. Petrus qui in propriâ Sede viuit & præſidet, præſtat quærentibus, fidei veritatem.* Et S. Bernardus Epiſt: 190. ad Innoc: Papam: *Oportet ad veſtrum referre Apoſtolatum, pericula quæq; & ſcandala regni Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namq; arbitror, ibi potiſsimum reſarciri damna fidei, vbi non poſsit fides ſentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum eſt aliquando: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.*

Succeſsio Pontificũ in Cathedrâ Petri cum priuilegio eodem.

Hinc conſtat ex ipsâ etiam praxi, quod Summi Pontifices per ſe ipſos, etiam extra Concilia, plurimas hæreſes damnârunt, vt Pelagij, Priſcilliani, Iouiniani, Vigilantij, &c. quas ſic damnatas, pro damnatis tota Eccleſia accepit & habuit. Hinc in ipſis difficultatibus fidei, ſemper ad Romanam Sedem, etiam à præcipuis Doctoribus recurſus fiebat: vnde S. Hieronymus *in Epiſt: ad Damaſum PP.* poſtquam

Papa ſolus damnat Hæreſes.

Ad Papam in dogmatibus fidei recurſus.

quam præmisisset rationem, cur ad eum in difficultate illa controuersâ recurreret: *Quia*, inquit, *super istam petram ædificatam Ecclesiam scio*; tum demum subiungit: *Obsecro vt mihi literis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas: non timebo tres hypostases dicere, si iubetis?* Ecce vnde sine timore & fluctuatione se futurum dicit: *si iubetis*, inquit: quod non diceret, nisi infallibile iudicium iubentis Papæ agnosceret. Et plura alia huiusmodi adferuntur à Bellarmino, *Lib: 4. de Summo Pontif.* & Becano *de Republ: Christ: Lib: 3.* & Grauina *Tom: 4. part: 2. Q. 2. de Infallibilit: Papæ.*

Replic: 3. Replicant Aduersarij: fuisse olim recursum ad Pontificem Romanum, non pro infallibilibus decisionibus, sed pro consilio requirendo. Sed contra est: quod S. Hieronymus nunc citatus, non consilio acquiescere, sed mandato vult parere. Et rursum ad eundem Damasum PP. *Ego interim*, inquit, *beatitudini tuæ, i. e. Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum Agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit, spargit.* Et rursum: *Hæc est*, inquit, *fides*, *Papa Beatissime: in qua si minùs peritè, aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Si autem hæc nostra Confessio, Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit.* En quomodo approbationi Papæ tantam defert authoritatem, vt se illi

Quantùm authoritati Papæ defert S. Hieronymus, & alij SS. Patres.

inhæren-

inhærentem, securum ab hæresi, illi refragantem suspectum de hæresi, & non Catholicum censeat. Idem *Lib: 3. Apolog:* contra Ruffin: incorruptam semper fidem Sedis Romanæ agnoscit, cùm ait: *Scito Romanam fidem, Apostolicâ voce laudatam, eiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est.* Et S. Greg: Naz: Carm: de vitâ suâ: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem: & semper eam retinet: sicut decet Vrbem, quæ toti Orbi præsidet.*

Ex quibus (vt interim plurima alia, ab alijs adducta, breuitati studens, omittam) manifestè patet, ad Summum Pontificem, non tantùm pro consilio (quod etiam quandoq; factum non negauerim) fecisse recursum aliquos Patres, imò & integra Concilia, verùm etiam pro authoritatiuâ & firmâ decisione: cuius quidem authoritatẽ, aliquos nonnunquã reiecisse, arguit, non illos, qui recipiebant aberrâsse, sed hos, qui repudiabant, proteruos fuisse: nonnullos quoq; postmodum constat resipuisse, suumq; hâc in parte errorem correxisse, & reuocasse.

Replicant Aduersarij; De multis Pontificibus magnum esse dubium, an legitimè successerint Petro: cùm aliqui illorum deprehensi sint, Simoniacè Petri Cathedram ascendisse, quales ex Canonibus constat, nullos esse Pontifices, nullamq; illorũ electionem: Hi postmodùm creârunt Cardinales, alterius Summi Pontificis Electores, æquè nulliter, ac ipsi erant Pontifices. Inde postmodum sequentes Pontifices ab ipsis electi; inualidè erant electi: sicq; interrupta, imò præcisa est successio ab Apostolo Petro; consequenter *Replicat: 4.*

quenter nulla ampliùs, si quæ fuit aliquando, infallibilitas decretorum Sedis Romanæ.

Sed contra est; quia hæc obiectio procedit ex ignorantia iuris. Notum est enim, quòd vbi adest titulus, & error communis de Electo, Acta eius non rescinduntur, *L. Barbarius. ff. De Officio Prætoris.* consequenter retinent omnia suum valorem, quousq; non fiat legitima, & Canonica declaratio, de illegitimâ illius possessione officij. In præsenti ergò casu, reiectis imprimis plurimis Calumnijs, quæ hac in parte cõfinguntur; admisso itẽ, non concesso, quòd contendũt Aduersarij; adhuc nõ sequitur interruptã, vel præcisã fuisse successionẽ Pontificũ à B. Petro. Ostendant enim aliquẽ Pontificẽ, ab Ecclesiâ pro Pontifice habitũ, postquã legitimè declaratus fuisset nullus Pontifex: talemq; creasse Cardinales, per quos postmodum alij, & alij Pontifices electi fuerant. Si quid huiusmodi contendunt, iam à nostris antè solutum: solutiones ergò euidenter falsi conuincant. Semper enim persistimus in eo, quod supra circa Conclusionem primam, & penultimam instantiam dictum est.

Replic: 5. Replicant ampliùs Aduersarij: Quicquid sit tandem de legitimâ successione: etiam sic deprehenduntur plurimi, à plurimis Pontificibus, errores commissi in materiâ fidei. Quomodo ergò illorum authoritas infallibilis? Ad hoc autem probandum, vulgò adducuntur nonnulli Pontifices, quibus ab Aduersarijs varij impinguntur errores: specialiter quidam ex illorum Neotericis, obijcit Innocentio ex S. August: *Lib: 1. contr: Iulian: c. 4.* quòd definiuerit infantes absq; Eucharistiæ vsu, seruari non posse: cuius Contrari-

Antitheca: Lib: 1. Cont: 4. Sect: 12. n 5.

trarium Concilium Tridentinũ dicit definijsse. Alterum ergò necesse est, in puncto fidei ad salutem necessariò, errasse, vel Innocentium, vel Concilium. Præterea: S. Hieronymus laudat Marcellam, quòd illudentibus Hæreticis simplicitati Episcopi, id est, Syricij Papæ, ipsa publicè restiterit. Qui ergò totus Orbis illi sese committat, cuius simplicitati Hæretici illudere, fæmella succurrere noscitur? Et sic de alijs.

Sed cõtra est, quòd Doctores nostri Catholici, vindicârũt optimè ab imputatis erroribus omnes illos Pontifices, quantùm sufficiebat ad euidentẽ saltem negatiuè solutionẽ omniũ obiectionum, quas accumulant Aduersarij: videatur præter alios Bellarminus, *Lib: 4. de Rom: Pontif: c. 8. & sequ.* Et Grauina *Tom: 4. Part: 2. q. 2. a. 4.* Summa omnium solutionum ad hæc ferè reuocatur Capita: vel quod illi imputantur errores Pontificibus, qui reuera non sunt errores; sed ab errantibus reputantur pro erroribus: vel quod veri quidẽ errores, at falsò & per calumniam, ex deceptione, aut malitiâ innoxijs imputantur: vel quia illis imputantur, qui non erant legitimi, saltem pro tunc, Pontifices: vel quia hæc tenuerant tanquam priuati Doctores, non autem velut ex Cathedra Petri pronunciantes, ac more consueto toti Ecclesiæ ad credendum proponentes; præsertim quando illa necdum in Eccesiâ aliunde pro articulis fidei declarata erant. Eas, & similes solutiones, nondum Aduersarij ita solidè refutârunt, vt conuincerent euidenter suum intentum.

Vindicantur Pontifices ab erroribus falso imputatis.

Quantùm ad illud quod in speciali de Innocentio obijcitur,

citur; dicendum, nihil contrariari Concilio Tridentino: falsum enim est, quòd Concilium Tridentinum anathema dicat illi dogmati Innocentij, quo, vt ait S. Augustinus, *definiuit, paruulos, nisi manducauerint carnem filij hominis, vitam prorsus habere non posse.* Concilium enim Tridentinum nullibi quicquam de hac re egit, sed solummodo *Sess: 13. Can: 9.* illis anathema dicit, qui omnes & singulos fideles, postquã ad annos discretionis peruenerint, negant teneri singulis annis ad communicandum. Hoc verò valde distinctum ab eo, quod est, negare paruulos posse saluari, absq; Eucharistiâ, vt patet. Sed neq; per necessariam deducitur consequẽtiam, aliquid contrarium Innocentio, ex prædicto Canone Concilij Tridentini, quod tantùm in particulari de adultis determinat, de paruulis verò nihil eo loco dicit, sed relinquit integrum antiquo iuri. Vnde etiam nunc Ecclesia tenet, paruulos, sicut sine Baptismo, ita & sine vsu Eucharistiæ non posse saluari, in eo sensu, quo citatus Innocentius definiuit, & S. Augustinus subscripsit ibidem, & *Lib: 3. de Peccat: Mer: & Rem: c. 4.* & alibi, adstruens infantes in ipso Baptismo communicare Corpori Christi, & per susceptionem Baptismi, implere etiam præceptum de sumptione Eucharistiæ. Quod communiter Theologi nostri sic explicant: Paruulos per Baptismum renatos, ex hoc ipso quod renati, quasi naturali quadam connexione, non actu elicito, cùm careant vsu rationis, sed ipsius Baptismi, (vt sic dicam) impetu, cibum quoq; renatorum appetere: eo modo quo omnis qui nascitur, naturaliter appetit cibum. Sicque infantes illi baptizati, ex quo baptizati, in voto, non quidem ex-

Paruuli quomodo sine vsu Eucharistiæ non saluãtur.

dem explicito, ſed implicito, cõmunicant; appetendo ſcilicet illum cibũ cæleſtẽ, ſuo loco & tempore percipiendum. De hac communione loquitur Innocentius, & S. Auguſtinus. Concilium verò Tridentinum in ſuo Canone, per exceptionem virtualem eorum, qui non peruenerunt ad vſum rationis, non firmat regulam in oppoſitum, in eo ſenſu quo iam dictum eſt illos eſſe participes Euchariſtiæ: ſed ad ſummum in eo ſenſu, vt paruuli ſeu infantes intelligantur, non obligari lege illâ, ad communionem re ipsâ percipiendam.

Quantùm verò ad illud de Syricio Papa; dicendum, quod S. Hieronymus quidem dicit, hæreticos illos Origeniſtas, qui tunc appulerant Romam, contectos veſtibus ouium, & pietatem Catholicam ſimulantes, illuſiſſe Summo Pontifici Syricio, qui, inquit, *de ſuo ingenio cæteros æſtimabat*; hoc eſt, ex probitate animi ſui, mala de alijs exiſtimare neſciebat: fuiſſeq; illos per Marcellam detectos: at non dicit Syricium erroribus illorum conſenſiſſe, vel pro illis quicquam definiſſe: vt hominem quidem & priuatam perſonam, in cauſâ facti cõtigit fuiſſe deceptũ, non deprehẽdẽdo illorũ malitiam, nec tamen ad errorem iuris, vel fidei declinaſſe, Deo prouidente, & prohibente in Chriſti Vicario eiuſmodi errorem; vt proinde tutò adhuc poſsit totus Orbis Chriſtianus committere ſeſe arbitrio Sedis Romanæ in fidei determinationibus, in quibus ſolùm infallibilitatem agnoſcit, non autem in particularibus cauſis facti: non quia non ſufficiat Spiritus S. etiam in cauſis facti, ad infallibilitatem iudicij aſsiſtere, ſicut in cauſis fidei aſsiſtit (vt ludunt Aduerſarij) ſed quia promiſsio Chriſti de aſsiſtentiâ Spiritus *Syricius PP. vindicatur.*

 S. ad

S. ad ea duntaxat se extendit, quæ sunt Ecclesiæ necessaria ad salutem: quod magis infra explicabitur.

Replic: 6. Replicant demúq; Aduersarij: Constat aliquos Pontifices facinorosos fuisse. Non igitur videtur credibile, quòd ij assistentiam habuerint Spiritus S. quoniam, vt scriptum est Sap: 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus S. disciplinæ effugiet fictum. &c.*

Sed contra est; quòd Christus Dominus non rogauit pro Petro, vt non deficeret sanctitas eius, sed rogauit, vt non deficeret fides eius: quod magis inf: *Act: 3. §. 3.* ponderabitur ex S. Augustino. Et Caiphas satis malus erat: tamen, *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Ioan: 11. Et gratiæ gratis datæ ad salutem aliorum, reperiuntur etiam in reprobis peccatoribus, iuxta illud Matth: 7. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Et nihilominùs respondebit illis Dominus: *Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Ita planè, esto fuerint aliqui Pontifices criminosi, non tamen erant destituti illis gratijs gratis datis, quæ ratione officij, ad salutem aliorum necessariæ erant: & inter has est, illa infallibilitas in definiendis rebus fidei & morum, ad salutem necessarijs, promissa Petro, suisq; Successoribus: quam promissionem nulla peccata successorum euacuare possunt; cùm non in fauorem illorum, sed in fauorem Ecclesiæ, primariò, & principaliter sint facta. Et hoc quoad primum Punctum, secundæ Conclusionis.

Gratiæ gratis datæ stant cū peccato.

Quoad

Quoad alterum punctum eiusdem secundæ Conclusionis, de authoritate videlicet infallibili Concilij legitimi, eiusq; decretorum, in rebus fidei & morum, ad salutem similiter necessarijs: ea infallibilitas constat ex primo illo Concilio, quod forma erat aliorum Conciliorum, *Act: 15.* vbi ex parte illius Concilij confidenter dicitur: *Visum est Spiritui S. & Nobis*: Quo indicabatur, decretum illius Concilij, simul fuisse decretum Spiritus S. & ex Spiritu S. emanasse: consequenter, sicut decretum Spiritus Sancti, nulli subiacuisse fallibilitati. Sic postmodum, huius Concilij exemplo, celebrata sunt alia Concilia in Ecclesiâ: & eâdem fiduciâ de assistentiâ Spiritus S. decernebantur, vel declarabantur, tam firmâ certitudine res fidei, quòd etiam vniuersi contradicentes anathemati subijciebantur: vt ostenditur infra *in Animadu: cap: 20. fol: 139.* *Authoritas infallibilis Conciliorum legitimorum.*

Accedit quod Cælestinus PP. *Epist: 7.* ad Concil: Ephesinum, eandem Spiritus S. præsentiam, quæ primo Ierosolymitano Concilio aderat, eidem Concilio Ephesino adesse recognoscit, cùm ait: *Spiritus S. præsentiam, testatur Congregatio Sacerdotum. Certum est enim quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius ista sententia est; Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic sum in medio eorum. Si nec huic tam breui numero Spiritus S. deest: quanto magis eum nunc interesse credemus, quando in vnum conuenit tanta turba Sacerdotum.* Sic & S. Cyrillus *Epist: ad Anastasium Alexandr:* loquens de PP. Nicenæ Synodi, illum eundem locum Euãgelij, de Synodali Patrum congregatione explicat: *Quibus sanè,* inquit, *& ipse Christus assedit: qui dixit; Vbi fuerint duo,*

vel

vel tres, &c. Et S. Leo PP. Epist: 78. *De rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem (sicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum S. fixit authoritas.* Et S. Gregorius L. 1. Epist: 24. *Sicut S. Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, &c.*

S. Cyprianus vindicatur.

Et S. Augustinus, S. Cyprianum resistentem Stephano Papæ, de non rebaptizandis hæreticis, per hoc excusat *L. 1. de Baptismo, c. 18.* & alibi, quòd de illâ quæstione adhuc Ecclesiæ nutassent; & ideò potuisse saluâ charitate Doctores inter se dissentire, donec non accessisset Generalis Concilij definitio; quandoquidem & ipse PP. Stephanus, noluit adhuc rem hanc, sine Concilio, decidere de fide; licet præceperit, cõminando quoq; Excõmunicationẽ contrarium sentientibus, non tamen de facto excommunicando; quod requiritur, dum à Papa aliquid definitur. Sentit ergò S. Augustinus tantam esse Concilij authoritatem, vt quæ ante illius definitionem, possunt sub oppositas cadere opiniones, interueniente eiusdem Concilij decreto, nefas sit ampliùs controuertere: quod nequaquam teneret, si decreta Concilij legitimi, infallibilitatem non haberent.

Idem S. August: L. 7. contra Donatist: *Nobis tutum est in ea, non progredi aliqua temeritate sententia, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata sunt. Id autem fiduciâ securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris* IESV *Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Conformiter his in Concilio Chalcedon: *Act: 3.* à Martiano, & Valent: Imp: dicitur:

tur: *Cesset prophana contentio: nam verè impius & sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippè dementiæ est, in medio & perspicuo die, commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vlterius discutit, mendaciũ quærit.* *Concilijs Imperatores quantum deferant.*

Replicant Aduersarij; & dicunt, plura Concilia errasse: variją; ab Aduersarijs ad hoc comprobandum adducuntur, Conciliorum errores. Addunt etiam nonnullos ex SS. Patribus, authoritatem Conciliorum recusasse: ex quibus S. Augustinus L. 3. cont: Maxim: c. 14. *Nec ego*, inquit, *Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium: nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris.* Et L. 3. contra Crescon: c. 19. *Disce, quod nescis. Sardicense Concilium, Arianorum fuit.* Et tamen illud inter Generalia Concilia ponitur. Deniq; S. Gregorius Nazian: Epist: ad Procop: *Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius Concilij finem lætum faustumq; vidi: nec quod depulsionem malorum potius, quàm accessionem, & incrementum habuerit.* *Replicat: 1.*

Sed contra est: Omnia enim quæ obijciuntur Concilijs, tanquam erronea, ijsdem ferè modis soluuntur, sicut suprà dictum est, solui ea, quæ de erroribus Summorum Pōtificum obijciuntur. Præsertim verò obseruandũ, quòd vt plurimùm obijciuntur ea ab Aduersarijs, quæ ex corruptis textibus Conciliorum depromuntur; vel in Concilijs non legitimis, id est, à Summo Pontifice non approbatis, continentur: Cùm tamen, vt ait Damasus PP. Epist: ad Stephan: *Vindicantur Concilia ab erroribus obiectis.*

 & Conc:

& Conc: Afric: *nulla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non fulta Apostolicâ authoritate.* Et S. Gregorius Lib: 7. Indict: 2. Epist: 69. *Nulla*, ait, *Synodorum Acta haberi, sine Sedis Apostolicæ consensu.* Concilium siquidem absq; Pontifice, non repræsentat totum Corpus Ecclesiæ, cui promissa est infallibilitas; deficiente videlicet ipso Capite huius Corporis. De quo videatur Grauina *Tom: 4. part: 2. disp: 1. de causa efficienti Concil.* Et Bellarminus *Lib: 2. de Concil: c. 11.*

Concilia sine authoritate Papæ non habẽt robur.

Porrò ad illa Sanctorum testimonia, quæ in contrarium adducuntur, & imprimis ad testimonium S. Augustini dicendum, iam ex dictis constare, quantùm ille æstimauerit Concilia. Vnde illud quod Maximiano dixit, non erat ad Concilij Nicæni authoritatem eleuandam, cùm ante præmisisset: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno aduersus hæreticos Arianos, à Catholicis Patribus veritatis authoritate, & authoritatis veritate firmatum est, &c.* Sed quia Maximinus volebat vrgere S. Augustinum Concilio Ariminensi illegitimo, Concilio Nicæno illud opponendo, noluit S. Augustinus tunc occupari in probandâ & deducendâ illegitimitate illius Concilij: & ideo ne à principali Controuersia diuerteretur, voluit pro tunc ad partem vtrumq; Concilium seponere, & ex vtrinq; admissis, contra Maximinum procedere. Notanter tamen dixit: *Nec ego huius*, id est, Ariminensis, *nec tu illius*, id est, Nicæni, *authoritate teneris.* Non verò dixit: *Nec huius, nec illius, authoritate teneor.* Ex primo enim dicto S. Augustini colligitur, illum solùm Ariminense Concilium illegitimum reijcere: ex secundo verò dicto colligeretur, id quod intendunt Aduersarij, si tamen illud

illud S. Augustinus protulisset. Damnauit item S. Augustinus Concilium Sardicense, non illud Oecumenicum, cui præsidebat Hosius, sed aliud quod ab Arianis, cōtra S. Athanasium congregatum erat. Ad illud verò S. Gregorij Naz: dicendum, quòd, vt ex contextu verborum eius liquet, loquitur, de Concilijs sui temporis, quæ ob plurimos Episcopos pro tunc hæreticis fauentes, non poterant bonum habere exitum. Quantùm verò alioqui S. Gregorius Nazianz: Concilia Ecclesiæ æstimauerit, constat aliunde; nimirum *Orat: in Laudem Athan:* vbi dicit ad Concilium Generale Nicænum, Episcopos à Spiritu S. congregatos fuisse. Et *in Epistolâ ad Clidonium*, exigit ab Apollinaristis, vt ostenderent, quod prætendebant, in quodam scilicet Concilio Catholico illos receptos fuisse: *Ostendant*, inquit, *hoc, & nos acquiescemus: perspicuū enim erit, eos rectæ doctrinæ assentiri. &c.*

Replicant rursum Aduersarij: Etiam illa Concilia, quæ à Pontificibus erant approbata, errârunt. Sic Concilium Neocæsarense approbatum à Leone IV. *Dist: 20. C. de Libell:* improbat nuptias secundas, prohibens illis Presbyterum interesse: quod non potest (dicunt) explicari de duobus vxoribus simul ductis; nam in Græco textu *Digamus*, non significat duas vxores simul habens, sed secundas nuptias celebrans. Concilium item Constantinopolitanum III. quod est Generale VI. ab Adriano approbatum, Can: 72. definit coniugia Catholicorum cum Hæreticis, esse irrita, & soluenda: cùm tamen contrarium teneant Catholici: Multa quoq; Concilia à Pontificibus approbata, damnârunt ali- Replic: 2.

 quos

quos Pontifices,& decreta illorum præcedentia. Sicut Honorium Synodus VI. VII. VIII. damnauit,concurrentibus ad hoc etiam Pontificibus. Vel ergò Pontifex ante errauit; quod eſt contra dicta: vel Concilium damnans non errantem, errauit. Similiter Romanum Concilium ſub Stephano Papâ, Formoſum Papam damnauit, & omnia eius acta abrogauit. Aliud verò Concilium ſub Ioanne IX. reſtituit Formoſum, & Stephanum damnauit, abrogatis eius Actis. Vnum ergò, vel aliud Concilium de neceſsitate errauit: cùm tamen interuenerit ad vtrumque authoritas Summi Pontificis.

Sed contra eſt;nihil ab Aduerſarijs adduci,ad probãdũ errorẽ Cõcilij alicuius à Pontifice approbati,quatenùs approbatũ, ſiue quoad illa in quibus eſt approbatum,quod non maiori, vel ſaltem æquali probabilitate ſoluatur, quàm probetur: quod, iuxta ſuperius dicta, ſufficit. Sic enim videre eſt,omnia quæcunque in hac materiâ obijciunt Aduerſarij, ſolui à noſtris Doctoribus idem argumentum tractantibus: non autem vidimus hactenus, aliquas ſolutionum impugnationes per Aduerſarios conuincentes.

Bellar: & Grauina inf: citandi.

Quantùm ad ea quæ hîc particulariter tanguntur, dicendum,Concilium Neocæſarenſe,non damnaſſe ſecundas nuptias abſolutè, nec loqui de duobus vxoribus ſimul ductis, ſed loqui de illis qui ad ſecundas nuptias tranſeunt, viuente priori coniuge. Vel certè loqui etiã de ſecundis nuptijs mortuo altero coniuge: non tamẽ quoad ipſam nuptiarum ſubſtantiam,ſed quoad nuptiarum ſolennitatem; qualis in primis nuptijs cum Virginibus adhiberi ſolebat, iuxta S. Ambroſium,

Vindicantur Concilia à Summis Pontificibus approbata.

brosium, *Lib: 1. de Abrah: c. 9.* Talis ergò solemnitas in secundis nuptijs illic prohibetur, & illis adesse Presbytero interdicitur: non autem ipsæ nuptiæ secundæ reprobantur. Concilium verò Constantinopolitanum, authoritate ordinariâ, quâ leges toti Ecclesiæ pro semper, vel pro tempore ferre potest, potuit quoq; constituere inter impedimenta dirimentia matrimonium, hæresim alterius coniugis, sicut alia quoq; impedimenta huiusmodi, lege Ecclesiasticâ sunt sancita. Cæterùm illi Canones qui allegantur ex Synodo VI. Generali Constantinopolitanâ, non sunt Canones Synodi, dictæ Constantinopolitanæ, quæ nullos fecit Canones, sed Synodi, dictæ Trullanæ: nec sunt authentici, neq; Ecclesiasticam habent authoritatem: licet enim aliqui postmodum ex illis, fuerint ab Ecclesiâ acceptati, sed non omnes. Videatur Binnius *in Admonit: ante Concil: 6. Oecumenicum.* Et Sanchez *de Matrim: L. 7. disp: 28. n. 7.*

Quantùm ad Concilia illa Honorium damnantia, dicendum, ipsa non errasse in eo, quod damnarent eundem Honorium, aliquid de fide ex Cathedrâ decernentem; sed potiùs pro fide Orthodoxâ contra Monothelitas steterunt, Honorium ex probationibus quibusdam, tanquam ipsis fauentem, si, & in quantum fauebat, damnantes. At Honorius sufficienter vindicatur à Bellarmino *L. 4. de Pont: c. 11.* & Grauina *Tom: 4. p. 2. de Summi Pontif: Potest: q. 1. a. 3.*

Obiect: 22. Nec iuuat inferre: Ergò Conciliũ errauit, si Honorius innocens fuit. Nam vt sæpiùs dictũ, nequaquã defendũt Catholici; in causâ facti Conciliũ non posse errare: non quia Spiritus S. in quæstione Iuris errare nõ possit, possit verò in

Assistentia Spiritus S. in causis fidei, non in causis facti vel

forensib9 promissa Concilijs. rò in quæstione facti, vt cauillantur Aduersarij, (prout suprà aduerti) sed quia assistētia cōtinua & infallibilis Spiritus S. ad infallibiles decisiones in doctrinâ fidei & mor,ū ad salutem necessariâ, sit promissâ; non item in alijs: sicut enim *S. Thom: 2.2.q.171. a.2.* Prophetæ non semper prophetabant, sed quando à Spiritu S. mouebantur ad prophetandum: non quia non sufficiebat Spiritus S. semper illos mouere: sed quia tunc mouebat, quando placebat, ita illa infallibilitas Ecclesiæ in decidendis rebus fidei, quæ reducitur quodammodo ad donum Prophetiæ, non est necesse, quod in omnibus adsit Ecclesiæ, sed in illis duntaxat omnibus, in quibus placuit illam Christo promittere. Sic enim communiter promissa illa, & pacta Christi cum Ecclesia, ab eâdem Ecclesiâ accepta, & intellecta fuēre. Et S. Petro, vltimum robur Concilijs adijcienti, dicitur: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* non autem: vt non deficiat prudentia tua, vel iustitia, vel diligentia in iudicijs forensibus. Similiter ad illud de Formoso Papa dicendum: quòd nimirùm Concilium Romanum errorem facti commiserit circa illum, & Acta illius: *Concilia priora quo modo à posterioribus emendantur.* quem errorem cognitum, alterum Concilium correxit: quod aliquando fieri in huiusmodi casibus particularibus facti, admittit S. Augustinus, cùm ait; Concilia priora, aliquando emendari à posterioribus.

Replic: 3. Replicant vltimò Aduersarij: Si solius Pontificis authoritas in definiendis controuersijs circa fidem & mores, sufficit, ad quid Concilia opus congregare? vel ergò alterius horum, vel certè vtriusq;, id est, & Pontificis, & Concilij, incerta & fallibilis authoritas,

Sed con-

Sed contra est: Licet enim Summus Pontifex possit per seipsum definire, & aliquando definiat aliquid de fide, definitioq; illius sit infallibilis: cùm tamen grauiores aliquæ difficultates, & circumstantiæ occurrunt, præeunte exemplo Apostolorum, *Act: 15.* debet Concilium maius, aut minus, pro exigentiâ rei, de qua agitur, conuocare, & aliorum Episcoporum operâ & consilio iuuari: quibus etiam in suo gradu, claues regni cælorum collatæ sunt, & qui simul cum ipso in sortem ministerij vocati sunt. Neq; enim Summus Pontifex, vel etiam ipsa Concilia eam habent facultatem, quæ Prophetis, Apostolis, & Euangelistis inerat, vt statim ex immediato afflatu Diuino agnoscant, quid sit de fide, quid non sit? Sed conformiter ad humanum modum procedunt, veritatem diligenti scrutinio inuestigantes, Traditiones antiquas, & consensum Ecclesiarum inquirentes, & inter se mutuò de his omnibus conferentes: quo ipso requiritur, vt ex pluribus Prouincijs, & partibus Orbis confluant, & congregentur in vnum. Tunc postmodum implorato Dei auxilio, quod illis in Domino videtur, decernunt. Ita quod non solum Pontifex in Concilijs est Iudex; verùm etiam alij Episcopi ad illud idem Concilium conuenientes, sunt vt Iudices, & non solùm vt Consiliarij: vnde & in Actis Apostolorũ, non vnus, sed omnes aiunt, *visum est nobis, &c.* Et nunc quoq; sententijs Synodalibus, omnes subscribunt.

Concilia cur congregentur.

Nec tamen ideò Summus Pontifex tenetur sequi maiorem partem Concilij, sicut fit in humanis iudicijs, sed maior pars tenetur sequi Pontificem, eiusq; sententiam: vnde etiam si maiorem partem Concilij contingeret errare, Deus

Pontifex non tenetur sequi maiorem partẽ Concilij.

Deus tamen non permitteret Summum Pontificem cum illâ errare; iuxta illud promissum Petro, & eius Successoribus (vt ex dictis patet) factum. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Tu confirma fratres tuos:* Nihil verò tale pro se potest allegare aliquis in iudicijs humanis: propter diuersam rationem de his, & de iudicijs Concilij; in quibus vnius Papæ authoritas, præponderat maiori parti Concilij.

Inde ergò patet, non frustra congregari Concilia, etiãsi Pontifex posſit per se definire causas fidei; vel etiam contra sensum maioris partis Concilij: quia tunc nihilominùs præcedit agitatio & discuſsio difficultatis: quâ debitè discussâ res ab illa parte Concilij deciditur, cui adhæret Caput, id est, Summ⁹ Pontifex; & reliqua pars, licet maior, in tali casu, vbi nimirùm Summi Pontificis interuenit authoritas, tenetur sensum suum submittere.

Conciliorum vtilitates. Iuuat etiam ex alijs Capitibus Concilia congregare; quò nimirùm ex cõmuni consensu Episcoporum, plausibiliora fiant decreta, pluriũ iudicijs & testimonijs concurrentibus, & faciliùs per totum orbem, per remeantes Episcopos ad suas Prouincias, in praxim reducantur.

An verò Papa sit supra Concilium? parum ad præsens refert, eò quod ex certis rationibus, apud Catholicos non habeatur absolutè, & omninò de fide pars affirmatiua: nihilominùs opinio negatiua censetur scandalosa, temeraria, & hæresum fomentum: Videatur Bellarminus de Concil: *L. 2. c. 13. & sequentibus.* Grauina *Tom: 4. p. 2. q. 2. art: vlt.* Et ante illos, Cardinalis Caietanus in Opusculo, primo, & secundo.

CONTRO-

CONTROVERSIA TERTIA.

An in Renatis Concupiscentia sit verè & propriè peccatum?

Concilium Tridentinum *Sess: 5.* Decreto de peccato Originali, declarat, & determinat, Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, in Renatis non esse *verè & propriè peccatum*: nec in eo sensu ab Apostolo vocatam *peccatum*: quasi in se sit *verè & propriè peccatum*, sed quia ex peccato est, & ad peccatũ inclinat. Porrò Aduersarij tenent, Concupiscentiam in Renatis, non solùm quia est effectus, vel causa peccati, vocari peccatum; sed etiam quia in se, *verè & propriè est peccatum*, in quantùm, scilicet, est legi Dei contraria. Propositæ ergò quæstioni, vnicà Conclusione respondetur.

CONCLVSIO.

Concupiscentia in Renatis, non est verè & propriè peccatum; sicut vocamus peccatum, quod quantùm est de se, natum est inducere auersionem à Deo, maculam, ac sordes in animâ, & reatum damnationis æternæ.

HÆc Conclusio probanda est duplici authoritate S. Scripturæ, & testimonijs S. Augustini; omissis fusioribus

alijs probationibus, quæ apud alios, præsertim apud Bellarminum *L. 5. de Amiss: gratiæ cap: 7. & seq.* videri possunt.

Primus locus scripturæ est, *Rom: 8.* vbi, postquam præcedentibus duobus Capitibus, multa dixisset Apostolus, de Concupiscentiâ, eamq; peccatum vocasset: eo tamen non obstante, intulit de Renatis: *Nihil ergò damnationis est in ijs, qui sunt in Christo Iesu*: hoc est, nihil dignum damnatione. Sed si Concupiscentia, quam certum est remanere in Renatis, esset verè & propriè peccatum, non autem impropriè tantùm, remaneret in ijs proculdubiò aliquid damnationis, siue dignū damnatione: omne enim peccatū, quale ponunt Aduersarij in Concupiscentiâ, ex se est dignum damnatione, & morte æternâ. Cùm ergò nil damnationis, vel dignum damnatione in Renatis remaneat, Concupiscentia illa quæ remanet, peccatum verè & propriè non potest esse; nec dici.

Concupiscentia nō est verè & propriè peccatum.

Replic: 1. Replicant Aduersarij: in Renatis non remanere aliquid damnationis secundùm S. Paulum; quia illa Concupiscentia, quæ remanet, etsi sit verè & propriè peccatum, nihilominùs non imputatur ad damnationem: quia in Baptismo, dimittitur à Deo reatus.

Sed cōtrà est, quod dicit S. Augustinus Lib: 1. de Nupt: & Concup: cap: 26. *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati:* eo ipso ergò, quòd aliquis non est reus, nec habet peccatum; siue quia reatus, propriè & formaliter est peccatum secundum ipsos Aduersarios: siue quia indispensabiliter ad peccatum consequitur; vt sit impossibilè concipere peccatum propriè dictum, & non concipere dignum pœnâ: licet non è conuerso; sæpè enim dimissâ culpâ remanet reatus pœ-

tus pœnæ in ſententiâ Catholicorum, vt dictum eſt, & probatum ſuprà *Act: 1. c. 5.* §. *2. n. 13.* Nec iuuat dicere: non imputari à Deo, licet remaneat. Cùm enim iudicium Dei ſit in veritate, non poteſt aliquid à Deo non imputari eſſe, quod reuera eſt, & quamdiu eſt; aut non imputari peccatum, quod reuera eſt peccatum, & quamdiu eſt peccatum, ſed tunc primùm non imputatur à Deo, quando non eſt: ſicut è contrà, non poteſt à Deo imputari ſecundum veritatē iudicij peccatum, quod non eſſet peccatum.

Iniuria Christo ſi per ſolam nō imputationem tollantur peccatá.

Et certè non parua iniuria Chriſto irrogatur, & ſanguini eius, quòd dicatur, per ipſum, & virtutem ſanguinis illius, non deleri & tolli penitus peccata, quæ verè & propriè ſunt peccata, ſed tantùm non imputari: & quòd non modò non plùs, ſed nec ex æquo, per Chriſtum iuſtificemur, ſicut per primum hominem ſumus infecti: per primum enim hominem ſumus infecti peccato, non imputato, ſed verè & propriè nos internâ maculâ, & deformitate afficiente; in ſententiâ verò Aduerſariorum, per Chriſtum non iuſtificamur, neq; liberamur, niſi iuſtificati iuſtitiâ imputatâ, & liberati imputatiuè tantùm: contra illam Scripturam, Ioan: 8. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Sed & Scripturis Sacris magna vis infertur, quæ nos à peccatis verè lotos & ablutos indicant. Sicut cùm dicitur Pſal: 50. *Dele iniquitatem meam.* Et, *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Et Mich: 7. *Aufers iniquitatem.* Et Ioan: 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Et 1. Cor: 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. &c.* Et Apoc: 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quomodo

 hæc ve-

hæc verificari possunt, si non tolluntur, sed hærent maculæ peccati in Renatis, & tantùm non imputantur? Quomodo tam clara, & perspicua Scripturæ verba ad alium sensum trahenda, ab eo quem ipsi in similibus verbis exprimimus? Nam vt benè S. Augustinus contra Faustum ait: *Quid, cùm Scripturas legimus, obliuiscimur quemadmodum loqui solemus? an Scriptura Dei aliter nobiscum fuerat, quàm nostro more locuta?* Hoc intellige, dum ex proprio & genuino sensu, non sequitur aliquod inconueniens. Vnde cùm ex tali intellectu, quem tenent Catholici, horum Scripturæ locorum, nullum sequatur incōueniens; immò magis ex opposito sensu, grauis iniuria Christi colligatur, (vt indicatum est) cur non potiùs aliæ Scripturæ, quæ obtenduntur in contrarium, his accommodandæ, quàm hæ, illis violenter, immò non sine corruptione literæ aptandæ? Nam vt benè infert S. Hieronymus in Epist: ad Ocean: *Quomodo iustificati sumus, & sanctificati, si peccatum aliquod in nobis relinquitur?*

Scripturæ SS. more nostro loquantur.

Replicant rursum Aduersarij: opponendo S. Augustinum, *Lib: 1. de Nupt: & Concup: c. 25.* vbi ait: *Peccatum in Baptismo dimitti, non vt non sit, sed vt non imputetur.* Et c. 27. idem peccatum dicit: *reatu transire, actu manere.* Idem S. Augustinus Lib: Enchir: c. 41. ad illud 2. Cor: 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso:* postquam explicasset, quomodo Christus dicitur factus peccatum, i. e. Sacrificium pro peccato, iuxta quod *Ose: 4.* peccatum sumitur; subdit: *Ipse ergò peccatum, vt nos iustitia; nec nostra, sed Dei: nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: non in se, sed in nobis, &c.*

Replic: 2.

Ex men-

Ex mente igitur S. Augustini, iustificatio non fit per intrinsecam aliquam iustitiā nostram, sed per extrinsecam Christi iustitiam, quæ ita est non nostra, sed Christi, vt in nobis nō sit, sed in Christo: sicut Christus ita est peccatum non suum, sed nostrū, vt in illo non sit, sed in nobis. Huc facit, quod etiā Scriptura aliquando indicat, tegi, & non imputari peccata; sicut Psal: 13. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. &c.*

Sed contrà est: Nunquam enim S. Augustinus in priori loco, dicit peccatum in Baptismo dimitti, *non vt non sit, sed vt non imputetur*: loquitur enim ibi non de peccato, sed de ipsa Concupiscentiâ. Cùm enim proposuisset quæstionem: *Quomodo ista Concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum? &c.* Ad hoc respondet: *Dimitti Concupiscentiam carnis in Baptismo: non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.* Ex quo manifestè patet, non solùm S. Augustinum non loqui de peccato, sed etiam omne vniuersaliter peccatum supponere in quæstione exclusum. Quærit enim ex hypothesi factæ remissionis vniuersorum peccatorum. Vnde dicit quidem, dimitti Concupiscentiam in Baptismo, non vt non sit, id est, ipsa Concupiscentia, de qua immediatè locutus fuerat: sed vt in peccatum non imputetur: vtiq; ideò, quia iam supposuit omne peccatum, illi alioquin ante annexum, per baptismū sublatum.

Falso citatur ab Aduersarijs S. Augustinus.

Ad alterum locum dicendum, quòd S. Augustinus, sicut Cap: præced: docuit, aliqua peccata actualia præterire

actu, manere reatu: ita peccatum orginale dicit illo loco præterire reatu, manere actu: non tamen intelligit, quòd peccatum originale secundum veram & propriam rationẽ peccati remaneat, & non imputetur tantùm: si quidem dicit, reatu illud transire: & in eodem præcedenti cap: dixerat: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati:* Vbi ergò reatus transit, peccatum iam non habetur, non solùm non imputatur. Dixit porrò actu remanere, quod transijt reatu: quia sic remittitur peccatum originale, vt remaneat Concupiscentia, quæ actus, siue motus, & praua desideria carnis, non cessat excitare; quibus nihilominùs, vbi deest consensus, non inest ratio peccati verè & propriè dicti; vt infrà videbitur.

Peccatum Originale quomodo remanet actu in Renatis.

Ad tertium locum dicendum: quòd de iustitiâ Christi duobus modis possumus loqui, vel actiuè, vel pasiuè: hoc est, vel vt causante iustificationem nostram, vel vt causata in nobis à Christo: quam distinctionem innuit S. August: L. 12. Confess: *Quantùm distat inter lumen, quod illuminat, & quod illuminatur, tantùm distat inter iustitiam iustificantem, & iustitiam quæ iustificatione facta est.* Similiter & peccatum nostrum duobus modis potest accipi, vel secundum se, & suam, qualem potest habere, causalitatem, vel secundum suum effectum, scilicet pœnam, quam promeretur. Si primo modo accipiatur iustitia Christi, & peccatum. Sic nec iustitia Christi ita est nostra, vt in nobis sit; nec Christus ita est peccatum factus, vt in illo sit peccatum. Et in hoc sensu loquitur S. Augustinus *loc: cit.* Si verò secundo modo accipiatur iustitia Christi, & peccatum; sic & iustitia Christi est in nobis,

Quomodo Iustitia Christi nostra, & in nobis.

in nobis, & peccatum fuit in Christo, id est, pœna peccati nostri, quam sustinendo Christus, dicitur factus Sacrificium pro peccatis nostris. Quòd autem S. Augustinus, non solâ extrinsecâ & imputatâ iustitiâ Dei, sed etiam inhærente, tenuerit hominem iustificari, clarum est ex multis ipsius Libris. Sic patet ex paulò ante citato *Libro 12. Confess:* vbi euidenter distinxit iustitiam nostram, quâ passiuè iustificamur, à iustitia Dei, quâ actiuè iustificat nos. Et L. 6. de Genes: c. 24. *Recipimus iustitiam, ex quâ per peccatum lapsus est homo.* Illa certè iustitia ex quâ lapsus est homo per peccatũ, non erat imputata, præsertim secundùm illam explicationem, secundùm quam accipiunt Aduersarij in hac quæstione, in sensu scilicet forensi. Et Tract: 26. in Ioan: *Quid est iustitia Dei, & iustitia hominis? iustitia Dei dicitur, non qua Deus iustus est, sed quam dat homini Deus, vt iustus sit homo per Deum.* Per acceptam itaq; iustitiam, & consequenter in se habitã, non verò per iustitiam Christi extrinsecam, fit homo formaliter iustus per Deũ. Vnde meritò Caluin⁹ *Lib: 3. Inst: c. 11. §. 15.* apertè fatetur se in hac materiâ, non consentire S. Augustino: *Ac ne Augustini quidem*, inquit, *sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, quâ in vita nouitatem per spiritum regeneramur.* *Caluinus fatetur S. Augustinũ sibi in hac quæstione contrarium.*

Ad illa deniq; loca scripturæ, quibus dicitur, peccatum, per nõ imputationẽ remitti, vel tegi; dicẽdũ, quòd ideò scriptura dicit non imputari à Deo peccata, quia per remissionem sublata; ideo dicit tecta, quia non sunt; alioquin si essent, nuda & aperta in oculis Dei essent. Vnde cùm dixisset Propheta: *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum:* subiun- *Peccata quomodo in Script: S. dicuntur nõ imputari vel tegi.*

ſubiunxit: *Nec eſt in ſpiritu eius dolus*: quaſi ideo non imputetur, quia non eſt.

Replic: 3. Replicant iterùm Aduerſarij: Si ita remittitur peccatum originale, vt nihil ſit damnationis in Renatis; vt ſcilicet non ſolùm non imputetur peccatum, ſed etiam deleatur, cur non ſimul ita remittitur, vt ipſa etiam Concupiſcentia tollatur, quæ eſt peccati fomes; quo plenior ſit gratia Chriſti; cui non minùs videtur detrahi per hoc, quòd huiuſmodi Concupiſcentia dicitur remanere, ſublato peccato, quàm per hoc, quod dicitur, peccatum remanere, eſto non imputetur.

Concupiſcentia relicta ad agonem & coronam. Sed contrà eſt: Peccatum enim ex ſe, natum eſt inducere damnationem, non autem Concupiſcentia. *Non enim damnatur*, inquit S. Auguſt: L. 1. cont: 2. Epiſt: Pelag: c. 10. *niſi qui Concupiſcentiæ carnis, conſentit ad malum*, potiùs verò Concupiſcentia relicta eſt ad agonem iuſtitiæ, pudicitiæq́;, vt indicat idem S. Auguſt: *Lib: 1. de Nupt: & Concup: c. 27.* immò ad coronam, ſi ei viriliter reſiſtatur, vt ait L. 2. de Geneſ: cont: Manich: c. 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atq́; compeſcit. Quod cùm fit non labimur in peccatum, ſed cum aliquantâ luctatione coronamur.* Vnde nihil Chriſto, & eius meritò per nos derogatur; eſtò enim per Chriſtum non ſit ſublata Concupiſcentia, eſt tamē collata gratia, quò glorioſiùs, illâ ſuperatâ per gratiam, coronemur.

Probatio 2. Cōcluſ: ex S. Scriptura. Alter locus Scripturæ, quo poſita Concluſio probatur, eſt ex S. Iacobo cap: 1. *Vnus quiſq́; tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cùm conceperit,*

ceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit generat mortem. Quem locum expēdens S. Augustinus L. 6. adu: Iulian: c. 5. *Profectò,* inquit, *in his verbis, partus à pariente discernitur: pariens enim est Concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit: hoc est, ad malum perpetrandum, obtinuerit voluntatis assensum.* Igitur secundum Apostolum, tam clarè & solidè à S. Augustino explicatum, tantùm abest, quòd Concupiscentia sit peccatum, vt etiam discernatur ab illo (vtiq; verè & propriè sumpto,) sicut pariens à partu discernitur: nec vnquam ad peccatum deueniat, quamdiu anteuertit voluntatis assensum.

Replicant Aduersarij, opponendo alium Apostolum Paulum: qui *Rom: 7.* Concupiscentiam, contra suam voluntatem aliquid inordinatum in se excitantem, vocat peccatum: *Nunc autem,* inquit, *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* *Replic: 1.*

Sed contra est: peccatum enim in Scripturâ Sacrâ duobus modis accipitur: vno modo presse, secundum propriam rationem peccati: alio modo largè & impropriè. Sicut cùm dicitur Deut: 9. *Peccatum vestrum quod feceratis, id est, vitulum arripiens, igne combussi.* Et 2. Cor: 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et Rom: 7. *Lex, peccatum est? absit.* In quibus, & similibus locis, omnium consensu, *Peccatum* non sumitur *verè & propriè,* sed vel pro causâ, vel pro effectu, siue pro pœna peccati. Eodem ergò modo, cùm vocatur ab Apostolo Paulo, Concupiscentia *peccatum,* non intelligitur *verè & propriè,* sed in quantùm *Peccatum duobus modis sumitur propriè & impropriè.*

est effectus peccati originalis, vel causa quandoq; per suggestionem & tentationem, peccati actualis. Sic S. Augustinus explicat S. Paulum, L. 1. Retr: c. 15. *Hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideò peccatum, vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: quandoquidem de Concupiscentia carnis dicitur.* Et L. 1. contra 2. Epist: Pelag: c. 13. *Sed hæc,* scilicet Concupiscentia, *etiamsi vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum est, sed quia peccato facta est. Sic vocatur, sicut scriptura, manus cuiusq; dicitur, quod manus eam fecerit.* Et l. 5. contra Iulian: Concupiscentiam malum quidem vocari consentit, sed non peccatum, i. e. propriè, & verè peccatum; ait enim: *Tu autem, qui putas, quòd si malum esset Concupiscentia, careret ea, qui baptizatur; multùm erras: omni enim peccato caret, non omni malo.* Hoc verò malum alibi vocat infirmitatē, contradistinguendo eam iniquitati. Sic Ser: 6. de Verb: Apost: *Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas.* Et L. 2. ac L. 5. contra Iulian: distinguit inter mala, quæ per patientiam tolerantur; vt sunt febres, inopia, persecutiones, & similia quæ non incitant per se ad peccandum: & mala quæ per continentiam refrænantur, vt passiones immoderatæ, & alia huiusmodi, quæ solent esse incentiua vitiorum: de his porrò posterioribus, cum quibus Concupiscentia meritò computatur, dicit: *Non talia sunt vitia, quæ iam peccata dicenda sint; passiones sunt, vitia sunt; frænanda, cohibenda, sananda sunt. &c.*

Concupiscentia peccatū, quia effectus & pœna peccati non autem verè & propriè peccatum.

Replicat: 2.

Replicant iterum Aduersarij: probando Concupiscentiam non modo malum esse, sed etiam malum peccati verè & propriè sumpti: Illud enim est peccatum propriè dictum,

ctum, quod est contra legem Dei: sic enim definit peccatum B. Ioannes, 1. Ioan: 3. *Peccatum est iniquitas*: in Græco ἀνομία: quod propriè significat recessionem à lege. At Concupiscentia est contra legem Dei: tũ quia vocat illam Apostolus *repugnantem legi mentis suæ*, quæ etiam est lex Dei; quia à Deo indita: tum quia est contra præceptum Dei de non concupiscendo: dicit enim Apostolus: *Concupiscentiam nesciebam: Nisi lex diceret. Non concupisces.* Et S. August: Serm: 5. de Verb: Apost: *Quid dicis ô lex! Non concupisces: Et ego nolo concupiscere; non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.* Præterea. Illud est verè & propriè peccatum, quod odit Deus; iuxta illud Sapien: 14. *Odio est Deo impius, & impietas eius.* Concupiscentiam autem Deus odit ex S. Augustino *in Psal: 35.* immò & Apostolus eandem odio habuit, cùm dixit, Rom: 7. *Quod odi, facio.* Deniqúe quicquid est illicitum, est propriè peccatum: motus autem Concupiscentiæ, etiam qui nolentibus contingunt, secundum eundem S. Augustinum, *Lib: 1. de Nupt: & Conc: c. 27.* sunt illiciti. Consequenter erunt peccata propriè dicta. Igitur & ipsa Concupiscentia, ex quâ proueniunt, erit verè & propriè peccatum.

Sed contra est; quia hæc omnia non probant Concupiscentiam esse verè & propriè peccatum. Non primum: Esto enim omne quod est peccatum, est contra legem Dei; non tamen omne quod est contra legem Dei, est peccatũ. Nam & ipse homo repugnat legi Dei: non tamen homo potest dici verè & propriè peccatum. Similiter Diabolus repugnat legi Dei, & incitat contra illam, non tamen est *Non omne quod est contra legem Dei, est verè & propriè peccatum.*

verè & propriè peccatum. Sic & Concupiſcentia repugnat quidem legi Dei, incitando contra illam, non tamen eſt verè & propriè peccatum: ſed ſicut repugnat largo modo, ita eſt peccatum largo modo; quo, vt dictum eſt, vitia naturæ, vel artis, dicuntur quoq; peccata. Quòd enim propriè & ſtrictè non repugnet legi Dei, ſicut repugnat peccatum verè & proprè dictum, inde patet, quia repugnantia illa non eſt cordis, ſed corporis, hoc eſt, in ipsâ carne rebelli ſentitur, ſed illi per voluntatem, vt ſuppono, non conſentitur: talis autem repugnantia, non eſt in genere moris verè & propriè repugnantia, ſed largo modo; vnde neq; importat peccatum, præciſo conſenſu, niſi largo modo ſumptum, cùm neq; ipſa etiam caro, per ſe ſolam, & in ſe ſolâ ſit capax propriè dicti peccati. Non igitur hoc, quod Concupiſcentia repugnet legi Dei, concludit, illam eſſe verè & propriè peccatum.

Præceptũ duobus modis datur de medio, & de medio ſimul cum fine.

Neq; illud alterum: quia nimirùm eſt contra præceptum Dei: ſciendum enim quod præceptum duobus modis poteſt poni: vel vt imperat media tantùm ad aliquem finem, vel vt media ſimul complectitur cum fine. V.G. cùm præcipitur alicui: *Pugna contra hoſtes*; præcipitur ei medium, ad victoriam de hoſtibus reportandam: cùm verò præcipitur ei: *Vince hoſtes*, præcipitur ei finis pugnæ, ſimul cum ipſa pugnâ, quæ eſt medium ad talem finem obtinendum: eſtò enim finis præcepti non cadat ſub præceptum, aliquando tamen in præcepto exprimitur, quò media efficacius iniungi videantur, vt nimirùm taliter tamq; feruidè arripiantur, quantùm ad aſſequendum finem requiritur. Ex hu-

Ex huiusmodi præceptis posterioris generis, est illa lex: *Non concupisces*, quæ, & media, & finem complectitur. Media quidem sunt, resistere Concupiscentijs, nunquam eis assensum præbendo, finis verò horum mediorum est ipsas Concupiscentias funditùs extirpare. Porrò sicut non frangit ille præceptum, qui viriliter pugnando, victoriam non obtinet: dummodo nihil omittat eorum quæad consequendam victoriam faciunt (finis enim præcepti (vt dictum est) non cadit sub præceptum; vbi ille præsertim, non est in nostrâ potestate) ita neq; ille qui sentit adhuc motus concupiscentiæ, delinquit vel peccat propriè, contra præceptum; si modo ijsdem motibus non consentiat, sed viriliter resistat: hoc est; non peccat, qui finem non assequitur, peccat qui media ad hunc finem præscripta negligit.

Vnde S. Augustinus Epist: 200. ad Asellic: *Hoc lex posuit dicendo: Non concupisces: non quod hîc valeamus; sed ad quod proficiendo tendamus.* Et *L. 1. de Nupt: & Conc: c. 27.* docet, quomodo licet in homine inuito insurgant, contra legẽ Dei, motus Concupiscentiæ, ex alio nihilominùs capite, cùm nimirùm illis per voluntatis dissensum resistit, legi Dei satisfacit, eamq; implet. *Hinc enim,* inquit, *& alio loco Apostolus loquens velut ex sua persona introductione, nos instruit dicens. Non enim quod volo ago, sed quod odi, illud facio: id est, concupisco: quia & hoc nollet facere; vt esset omni ex parte beatus. Si autem, quod nolo, inquit, hoc facio, consentio legi quoniam bona est: quia hoc & illa non vult, quod & ego nolo. Non vult enim vt concupiscam, quæ dicit: Non Concupisces: Et ego nolo concupiscere. In hoc itaq; consentiunt voluntas legis, & mea.*

 Sic se-

Quomodo contra legem Dei concupiscendo, legi Dei obtemperatur resistēdo concupiscentiæ.

Sic secundùm S. August: quia ex vnâ parte, præceptum de non concupiscendo, secundùm ipsum finem præcepti impleri in hâc vitâ non potest; & ex aliâ parte, illa eadem contra præceptum ineuitabilis concupiscentia, non est volita, ideo nec potest dici, vel esse verè & propriè peccatum: immò eâdem concupiscentiâ, quæ alioqui secundum se, est cōtra legem Dei, vtitur iustus, certando per resistentiam, ad legem Dei implendam.

Concupiscentia quomodo odio habēda.

Ad illud verò quod dicitur concupiscentiam odio haberi à Deo, & ab Apostolo: Resp: ideo odio dignam, non quòd sit peccatum, sed quòd sit incentiuum peccati: Sic enim & Diabolus odio habendus est, cùm tamen non sit propriè peccatum: & ij qui nobis impedimento sunt salutis, odio habendi, vt monet Saluator noster hos, qui sui voluerint esse discipuli, *Luc: 14.* & tamen nec isti sunt verè & propriè peccatum.

Quomodo illicita.

Ad illud deniqúe, quod dicitur motus Concupiscentiæ esse illicitos: Respond: ideò dici illicitos, quia non liceat eis consentire; non autem quod non liceat sentire, alioquin ineuitabiles. Porrò illud tantùm illicitum, est verè & propriè peccatum, quod potest, & debet aliquis vitare, nec tamen vitat: illud verò quod, vel non debet, vel non potest vitare, vel cui voluntatis assensu non accedit, non est peccatū verè & propriè dictum; immò, vbi etiam dissensus interuenit, opus est laudabile, & à Deo coronandum.

Peccatum nullū propriè sine consensu.

Quod si ipsi actus, siue mot⁹ Concupiscentiæ indeliberati, & non voluntarij ex defectu consensus, nō sunt peccata verè & propriè dicta; vt alioqui bene probat S. August: *L. 1. de Ciu:*

de Ciu: Dei, c. 25. dicens: *Quantò magis concupiscentialis inobedientia absq; culpa est in corpore non consentientis, si absq; culpâ est in corpore dormientis?* Et L. 2. de Pec: Mer: & Rem: c. 3. *Quasi nostrûm hoc vllus ignoret, quod si nolumus, non peccamus:* & sæpè aliâs. Si ergò, inquam, illi motus actuales Concupiscentiæ, ex eò quod inuoluntarij, non sunt verè & propriè peccata; proculdubiò, ipsa quoq; Concupiscentia, ex quâ illi actus siue motus profluunt, non erit peccatum propriè & verè dictum.

Replicant iterum Aduersarij: Quandoq; est aliquid verè & propriè peccatum, secundùm S. Augustinum, *Lib: 1. Retract: c. 15.* etiamsi non sit in nostrâ potestate, nec possit illi aliquis resistere. Qui etiam *Lib: 5. in Iulian: c. 3.* ait: *Concupiscentia carnis aduersùm quam bonus concupiscit spiritus, peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis.* Non igitur Concupiscentia ideo non est verè & propriè peccatum, quia non est voluntaria, cùm etiamsi spiritus repugnet illi, adhuc est peccatum. *Replic: 3.*

Sed contra est: quod quandoque secundùm S. Augustinum, & in rei veritate, potest aliquid esse peccatum, etiamsi non possit aliquis immediatè, & pro tunc, illi resistere, grauissimâ sc. tentatione, cui par ad resistendũ non sit, præoccupatus; eo quòd gratiã, sine quâ nihil potest, non modò non implorauit orando, sed etiam oblatã abiecit; immò vehementissimo periculo & occasioni peccandi, seipsum vltrò exposuit. Sic quippè iusto iudicio Dei, gratiâ per se spretâ, destitutus, non potest pro tunc vitare peccatum: nec tamẽ idcirco excusatur à peccato: quia illud, quod, cum oblatâ sibi *Quomodo peccatum esse possit, licet videatur non posse vitari.*

tâ sibi Dei gratiâ, ad vitandum peccatũ potuit facere, noluit, & neglexit. Vnde S. August: citatus: *Iã hoc*, inquit, *ita peccatum est, vt sit etiam pœna peccati.* Hoc itaq; ibi voluit dicere S. Augustinus: si tamen de peccato propriè dicto ibidẽ loquebatur. Diuersa autẽ ratio de Concupiscentiâ, vt patet, quam nullâ etiam antecedenti diligentiâ potest aliquis euitare. Ad illud verò aliud S. Augustini dicendum, eum (vt infrà magis patebit) loqui de peccato, largo modo sumpto.

Probatio 3. Conclus: ex S. Augustino. Tertiò principaliter probatur Conclusio ab Authoritate S. Augustini, quem præ omnibus Patribus æstimat Caluinus. *Ex Augustino*, inquit, L. 3. Inst: c. 3. *sumant lectores, si quid de sensu Antiquitatis certum habere volunt.* Et Luther: in defens: Verb: Cœn: D. *Meo sane iudicio, post Apostolos Ecclesia non habuit meliorem Augustino.* Quicquid sit de eo, quòd alibi postmodum vterq;, sic à se laudatum S. Doctorem, grauiùs deprefferit, vt visum est, *sup: Act: 1. c. 2. §. 2. n. 9.*

Et quidem ex dictis sæpissimè in hâc totâ Cotrouersiâ, constat, S. Augustinum stare pro Catholicis. Nihilominùs nõ desunt plura alia eiusdem S. Augustini loca, in quibus disertis verbis *Concupiscentiam* negat esse *peccatum*: quæ de peccato verè & propriè sumpto necesse est intelligere; alioquin si neq; impropriè peccatum vocatur Concupiscentia, secundùm S. Augustinum, multò minùs vocabitur propriè.

Renati per Baptismũ absq; vllo peccato propriè sumpto. Primus ergò locus sit *ex Lib: 20. de Ciu: Dei c. 26.* vbi sic ait: *Excepto vno mediatore, & post lauacrum regenerationis, quibusq; adhuc paruulis; nemo mundus à sorde, sicut scriptum est: nec infans, cuius est vita vnius diei super terram:* qui scilicet

icet nondum remedio peccati Originalis, ab illius macu-
â est emundatus. Cùm itaq; excipiat cum Christo simul
nfantes renatos, tanquam immunes à sorde peccati, neces-
e est, sicut in Christo, ita in illis post lauacrũ regenerationis,
nullam inesse sordem peccati, & non solùm non imputa-
i ipsis. Et *L. 1. cont: 2. Epist: Pelag: c. 13.* eiusdem Concu-
iscentiæ reatum, sic in Baptismo dicit dimissum: *vt ideo
am non sit peccatum, sed sic vocetur.* Et Serm: 13. de Verb:
Apost: *Restat ergò cum carne conflictus, quia deleta est iniqui-
as, sed remanet infirmitas.* En quomodo Concupiscentiam
carnis, cum quâ est confligendum, vocat infirmitatem, vt
contradistinctam iniquitati, quam etiam deletam dicit;
per lauacrum vtiq; regenerationis: quod autem deletũ est,
quomodo potest adhuc remanere in eâ ratione, in qua dele-
ũ est? Si ergò peccatũ originale deletum in ratione iniqui-
tatis; nõ remanet ampliùs in ratione iniquitatis, seu peccati
propriè dicti, sed solùm in ratione infirmitatis, vt vocat
S. Augustinus.

Concupiscentia infirmitas non iniquitas.

Præterea; idem S. Augustinus sæpissimè docet, Concu-
piscentiam, & motus eius, deliberatum vsum rationis ante-
uertentes, non esse de genere illorum, pro quibus petimus:
Dimitte nobis debita nostra. Sic Conc: 3. in Psal: 118. *Quæ-
rendum est*, inquit, *quæ petimus dimitti nobis, quando dicimus
Deo: Dimitte nobis debita nostra: vtrum quæ nos operamur,
quando peccati desiderijs obedimus? an ipsa desideria nobis dimit-
ti volumus, quæ nos non operamur, sed quod habitat in nobis pec-
catum? Quantùm quidem ego sapere possum, languoris illius &
infirmitatis, vnde illicita desideria commouentur, quod peccatum
appel-*

Pro Concupiscentiâ non petitur: Dimitte nobis. &c.

appellat Apostolus, vniuersus reatus Sacramento baptismatis est solutus, cum omnibus, quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitauimus: nec deinceps nobis languor iste obesset, quamuis inesset, si desiderijs eius illicitis nullis vnquã obedientiam præberemus. &c. Et in Epist: 200. ad Asellic: *Quamuis insint*, inquit, *dum sumus in corpore mortis huius, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset vnde diceremus Patri nostro qui est in cælis. Dimitte nobis debita nostra, &c.* Idem docet *in L. de Perf: Iust:* motus scilicet Concupiscentiæ inuoluntarios, nõ esse illos, pro quorum remissione opus sit dicere: Dimitte nobis debita nostra. Et contrà *2. Epist: Pelag: L. 1. c. 13.* dicit, non propter ipsam concupiscentiam, quæ remansit in Renatis, dicere baptizatos in oratione: *Dimitte nobis debita nostra.* Cùm tamen Aduersarij, tenendo Concupiscentiam, omni etiam consensu præciso, esse verè & propriè peccatũ, debeant consequenter dicere in illâ oratione: *Dimitte nobis debita nostra:* illam quoq; comprehendi. Immò Lutherus *in Ass: art: 2.* vel ex hac ipsâ Oratione, colligit Concupiscentiam in Renatis, esse verè & propriè peccatum.

Replic: 1. Replicant Aduersarij; & cùm tam aperta S. Augustini loca in alium sensum detorquere non possint, dicunt eum non ex more Scripturarum ista locutum fuisse, sed secundùm famositatem, siue opinionem vulgi, & ob politicos respectus, ac metum inuidiæ: ne fortè Pelagiani objicerent illi, quasi doceret, per Baptismum, non dimitti omnia peccata. *Caluin: l. 3. Inst: c. 3. §. 11. & 13.*

Vindicatur S. Augustinus. Sed contrà est, quia per hoc S. Augustino, tam magno Ecclesiæ Doctori, grauis irrogatur iniuria; quasi ob vulgi, aut Pelagianorum politicos respectus, recesserit à legitimo

sensu

sensu Scripturarum, & non solùm celauerit veritatem ex metu aliquo inuidiæ, (quod quandoq; licere nō inficiamur) sed etiam contrà veritatem docuerit; immò populū quoq; deceperit in publicis concionibus, suadendo illis, ne orarēt pro remissione alicuius peccati, quod verè & propriè censeret esse peccatum. Præterquam quòd in superioribus ostensum est, eam potiùs doctrinam, quam tradidit, non vero oppositam, conformem esse Sacræ Scripturæ.

Replicant iterum Aduersarij: S. Augustinum in hoc dogmate, vel inconstantem fuisse, vel quod in pluribus locis docuit, in alijs retractasse. Sic *L. 6. in Iul: c. 8.* Concupiscētiam in Renatis, etiam cui resistitur, vocat iniquitatem; quā alibi, non iniquitatem, sed infirmitatem tantùm vocabat: *Neq; enim*, inquit, *nulla est iniquitas, si in vno homine, vel superiora inferioribus turpiter seruiant, vel inferiora superioribus contumaciter reluctentur, etiamsi vincere non sinantur.* Et pluribus in locis, concupiscentiam dicit vocari peccatum, non tantùm, *quia ex peccato facta est, & quia peccatum facit si vincit, sed etiam quia peccandi delectatione mouetur, etsi ei vincente delectatione iustitiæ, non consentiatur.* Ita *L. 1. contra duas Epist: Pelag: c. 13.* Et *L. 5. adu: Iulian: c. 3.* Concupiscentiā cum cæcitate comparat, quæ, inquit, scilicet, *cæcitas, & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor superbum dignâ animaduersione punitur; & causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis aduersum quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Cùm Replic: 2.

 ergò

ergò cæcitas in se verè & propriè sit peccatum, ipsa quoq; Concupiscentia ex mente S. Augustini cæcitati comparata, erit verè & propriè peccatum. Et tract: 41. in Ioan: *Quia*, inquit, *deleta est iniquitas, nulla remansit infirmitas? certè si non remansisset, sine peccato hîc viueremus.* Ergò illud, quod remansit, hoc est, illa ipsa infirmitas, secundùm S. Augustinum, est etiam peccatum.

S. Augustinus non est sibi cõtrarius in quæstione de Concupiscentiâ.

Sed contrà est; quòd S. Augustinus, constans fuit semper in suâ opinione de Concupiscentiâ; illã sc: non esse verè & propriè peccatum: nec vnquam mutauit, vel retractauit hanc sententiam; cùm in ipso etiam *Lib: 1. Retractationum, c.25.* eam tenuerit, dicens: *Hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est.* Et vt Bellarminus *Lib: 5. de Amiss: gratia, c. 8.* benè probat, ac deducit per decem tomos eiusdem S. Augustini, in pluribus suis Opusculis, etiam in posterioribus (quale inter alia censetur Opusculum de Perfectione Iustitiæ) idem vbiq; docuit. Hinc & ipse Caluinus

Caluinus S. Augustino contrarius.

L. 3. Inst: c. 3. §. 10. palàm fatetur, & dicit: *Porrò inter illum,* scilicet Augustinum, de quo superiùs fecit mentionem, *& nos, hoc discrimen est, quòd ipse quidem concupiscentiæ morbum, peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum, vbi vel opus, vel consensus accedit, infirmitatis nomine contentus, tum demum fieri peccatum docet, vbi vel opus, vel consensus accedit. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omninò cupiditate homo titillatur.* Ad quid ergò libet tergiuersari de mente S. Augustini, vbi illa ab ipso Caluino tam disertè innotescit nobis? Cumq; paulò ante præmisisset idem Caluinus sensum Antiquitatis certum, ex solo Augustino sufficienter

colligi:

colligi; vbi in hac ſententiâ nobiſcum cenſet S. Auguſtinum fuiſſe, cenſet conſequenter totam Antiquitatem, eandem ſentẽtiã nobiſcũ tenuiſſe; ſeq; nouũ dogma primùm intuliſſe!

Ad ea nihilominùs, quæ ex S. Auguſtino obijciuntur, dicendum. Ad primum quidem, quòd quando à S. Auguſtino, vel alijs Patribus, Concupiſcentia in Renatis vocatur *iniquitas*, in eo ſenſu vocatur, in quo & *peccatum* quandoque ab illis vocatur; ſcilicet largo modo, & impropriè, iuxta ſuperius explicata: quando verò negatur eſſe *iniquitas*, intelligitur in eo ſenſu, in quo negatur eſſe peccatum; ſcilicet verè & propriè. Vel dicendum, quòd Concupiſcentia dicitur *iniquitas* materialiter, non formaliter: in quantùm ſcilicet eſt deordinatio quædam naturæ, contra ordinem in primâ creatione poſitũ: non tamen eſt propriè peccatũ, ſi inordinatio illa eſt in ſolâ carne, quæ nõ eſt capax peccati propriè dicti; & quamdiu non adeſt conſenſus mentis, ſine quo, in ſententia S. Auguſtini (vt viſum eſt) non poteſt aliquid dici & eſſe verè & propriè peccatum. Hinc cõmuniter dicitur: non carnis concupiſcentiam, ſed cordis concupiſcentiam eſſe verè & propriè peccatum. *Concupiſcentia iniquitas impropriè.*

Ad aliud dicendum, quòd S. Auguſtinus coactus eſt aliquando Concupiſcentiam vocare non ſolùm cauſam, vel pœnam peccati, ſed etiam ipſum peccatum; & hoc ea occaſione, quia Iulianus, ex eo, quod alibi S. Auguſtinus vocauerat eam pœnã vel cauſam peccati, colligebat eſſe bonam & laudabilem: ſiquidem pœna, vt à Deo eſt, aliquod bonũ eſt, & laudabile: & cauſa quoq; peccati, ſi ſit cauſa per accidens, poteſt aliquando eſſe bona per ſe, vel ſaltem indifferens: ideo S. Auguſtinus, non vt indicaret Concupiſcentiam eſſe *Concupiſcentiam quare aliquando S. Auguſt: peccatum vocauerit.*

am eſſe

am esse peccatum verè & propriè, sed vt indicaret ipsam nô esse aliquid boni & laudabilis, dixit, illam vocari, & esse peccatũ: in eo scilicet sensu, in quo vitia naturæ, vel artis, vocantur etiam peccata, largo scilicet modo, in quantùm nô sunt per se aliquod bonum.

Concupiscentia quomodo à S. August: cum cæcitate cõparata. Ad illum verò locum, vbi S. Augustinus concupiscentiam comparat cum cæcitate dicendum, quòd *similitudo, non tenet quo ad omnia.* Vsus est ergò S. Augustinus illâ similitudine principaliter eo fine, vt ostenderet quomodo Concupiscentia posit dici & peccatum, & causa peccati, & pœna peccati; non autem quòd intenderet eo modo illam esse peccatum, quo est cæcitas ipsa: quamuis ipsa etiam cæcitas, quatenus est subtractio luminis Diuini, non dicitur verè & propriè peccatum.

Ad vltimum dicendum, vel accipere S. Augustinum peccatum largè, pro corruptione quâdam naturæ & vitio, iuxta toties dicta: vel intelligere de leuioribus peccatis, quæ frequenter ex suggestione & inclinatione concupiscentiæ, accedente saltem semipleno consensu committuntur.

Ex S. August: distinctio Peccati mortalis & venialis. Quod etiam insinuat Conc: 3. in Psal: 118. *Quoniam,* inquit, *tentatio est vita humana super terrã, etiãsi à criminibus longè simus, non tamen deest vbi desiderijs peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus, quando aduersus maiora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt.* Vbi etiã nota ex S. Augustino, fundamentũ distinctionis peccatorũ ex natura sua mortalium, quæ vocat *Crimina*, & venialiũ, quæ vocat *Minuta*.

Et hæc de tribus illis primarijs Controuersijs.

ACTIO

ACTIO TERTIA.

Discussio Abusuum.

TErtium, quod Instructio Charitatiui Colloquij Thoruniensis, vltimo loco peragendum, præscripserat, erat, eorũ quæ circa Praxes, & Mores controuersa occurrerent, Discusio. Mos enim antiquus hæreticorum est, quemadmodum S. Augustinus *Epist: 137. ad Clerum & Plebem Hypponensem*, obseruat, *vt non habendo, quod in causâ*, (suæ ab Ecclesiâ Catholicâ) *diuisionis, defendant, non nisi hominum crimina colligere affectent, & ea ipsa plura, falsissimè iactent; vt quia ipsam Diuinæ Scripturæ veritatem, quâ vbiq; diffusa Christi Ecclesia commendatur, criminari & obscurare nõ possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, possunt.* Sic & Aduersarij nostri, suum ab Ecclesiâ nostrâ Catholicâ recessum, eo titulo venustant, quòd scandala quædam, & abusus, in Ecclesiam nostram inuecti, eos ad separandum se compulerint, & inde expulerint, quò saluti, & conscientiæ suæ consulerent. Discutiendum ergò erit in hac Actione Tertiâ.

Quo colo re Hæretici ab clesia separa

1. Quosnam Abusus allegant Aduersarij in Ecclesiam introductos? & quomodo Satisfaciendum illis?

2. An similes, vel peiores Abusus, & corruptiones, apud ipsos non reperiantur?

3. An propter Abusus aliquos, siue vitia quorũcunq; in Ecclesiâ, posit fieri legitima, ab eâdem Ecclesiâ, separatio.

His expeditis, toti Operi Colophonem imponemus.

§. 1.

Quosnam Abusus allegant Aduersarij in Ecclesiam introductos; & quomodo satisfaciendum illis?

ABusus, quos Aduersarij in Ecclesiam nostram Catholicam introductos comminiscuntur, ad duas Classes reuocant. Alios enim in materiâ Religionis, alios in materiâ Morum enumerant. De prioribus aliquid præmittendum: de posterioribus postmodùm agendum.

Quos Abusus in materia Religionis obijciant Aduersarij. In materiâ ergò Religionis, plurimos nobis Aduersarij obijciunt Abusus, immò errores, quos fusiùs in Actione primâ recensui, dum ea quæ nobis imputant adduxi. Imputãt enim nobis Idololatriam in Cultu Eucharistiæ, Sanctorum, Imaginum, & Reliquiarum Sacrarum. Imputant superstitiones multas in Ritibus & Cæremonijs Ecclesiasticis. Imputant errores Pelagianorum, & aliorum Hæreticorum; quasi v. g. doceamus, quòd proprijs viribus posit aliquis mandata Dei implere; quòd iustificationem suam posit bonis operibus promereri: quòd sine gratiâ & meritis Christi posit aliquis saluari, &c. Insuper imputant Atheismum. Sic disertè Caluinus Lib: 4. Inst: cap: 7. §. 27. *Quasi verò*, inquit, *dubium sit; qualem Religionem professi sint iam pridem Pontifices, cum toto Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcana illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, Caput est. Nullum esse Deum. Alterum: Quæcunq; de Christo scripta sunt, ac docentur, mendacia esse, ac imposturas. Tertium, doctrinam de vitâ futurâ, & vltimâ resurrectione, meras esse fabulas.*

Atheismũ imputant Catholicis.

Iam

'am pridem hæc ordinaria cœpit esse Pontificum Religio. Hæc ;aluinus : quæ profectò non tam facilè potuit probare , ;uàm proferre. Quod si Pontifices Summos cum suo Car-linalium Collegio, in eo collocat Atheismo, totam simul Ecclesiam nostram , quæ Summo Pontifici in Religione ;ommunicat, & obedientiam præstat , eodem Atheismo obnoxiam reddit : quam grauem admodum iniuriam, & ;alumniam, non est præsentis loci ponderare.

Omitto longissimam seriem Calumniarum potiùs , quam Imputationum, quibus Confessio Augustana, Apo-ogia illius, & Articuli Smalcaldici confarcinati sunt : vnde postmodum ipsi quoq; Caluinistæ multa sumpserunt, tan-quam Sectæ Lutheranæ primogenita, siue nobilior soboles. Eæ porrò imputationes tam crassæ sunt, & adeò falsæ, vt(si-cut quidã ex nostris obseruauit) non videatur aliquis Theo-logus vel mediocriter institutus , aut saltem terminorum Theologicorum gnarus, sed caupo potiùs quispiam, non minùs Theologiæ, quàm doctrinæ Catholicæ ignarus, aut aliquis temulentus homo, inter ipsa pocula, eas congessisse ; effutiendo quicquid inopi menti in buccam venerat , dum-modo ad auertendum ab Ecclesiâ, & amarissimum odium propalandum conduceret.

S. Hieron: in Is: c. 1. Hæreticos caupones pessimos vocat.

His omnibus, vel maiori ex parte, in Depuratione Im-putationum, per totam Actionem primam satisfactum est. Porrò substantia solutionis eorum , in his tribus consistit. Primo ; quia aliqua, immò plurima illorum, tã falsa sunt, vt vel ipsâ suæ falsitatis mole immensâ, absq; aliâ refutatione

corruant; dum neq; vllâ fulciantur probatione, sed solâdũtaxat spargantur conuiciandi libidine, nec vllam veritatis speciem, sed manifestorum mendaciorum congeriem (vt visum est) præferant. Cùm tamen S. August: *L. de Mendac: c. 10.* moneat: *A doctrina Religionis, cùm ea docetur, omnia penitus mendacia remouenda esse. Nec vllam omninò causam inueniri posse, cur in rebus talibus mentiendum sit, vt ad eam ipsam quoq; facilius perducatur. Fractâ enim, vel diminutâ authoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.*

Dissoluuntur imputationes abusuum in materia Religionis.

Secundò, quia aliqua imputãtur nobis, non quòd doceantur & teneantur à nobis, sed quia ab Aduersarijs ex certis nostris dogmatibus, malè colliguntur: ita quòd non opponant nobis Theses doctrinæ nostræ, sed suas consequentias, ex nostris Thesibus, non tam legitimâ illatione, quàm vel ignorantiâ, vel malitiâ, vitiosè & friuolè deductas, siue elicitas: easq; postmodum, tam asseueranter nobis imputant, ac si ipsa doctrinæ nostræ Axiomata forent: non considerantes interim, viros aliquos doctos & cordatos, hæc quæ illi Ecclesiæ Catholicæ imponunt per suas consequentias, & ipsam Catholicorum genuinam & puram doctrinam, quãdoq; inspecturos, imposturamq; Aduersariorum deprehensuros, & detecturos.

Tertiò, quia aliqua illorum, immeritò vocantur errores, quæ non sunt errores, sed vera & Catholica dogmata, ab ipsis quoq; Principalibus Aduersariorum, sui nonnunquã oblitis pro veris plerumq; dogmatibus admissa. Sic Lutherus *in Purgatione quorundam articulorum*, Inuocationem Sanctorum, & Cultum Reliquiarum admittit: *De in-*

Lutherus aliquando Sanctos inuocan-

tercess-

tercessione, inquit, *Diuorum, cum totâ Christianâ sentio Ecclesiâ, & iudico, Sanctos esse à nobis honorandos & inuocandos. Quis enim potest contradicere his, quæ adhuc hodiernâ die mirabiliter, & inuisibiliter apud Diuorum sepulchra, & corpora, operatur Deus?* Idem in disputatione quâdam Lipsicâ, quæ adhuc extat: *Ego*, inquit, *qui credo fortiter, immò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor, in Scripturis de eo fieri mentionem.* Et de Institutoribus Religionum, quos L. de Capt: c. 2. *Sanctos*, vocat: eosdem in Loc: Comm: Class: 5. sic commendat: *Fateor non defuisse sua dona, Francisco, Dominico, Bernardo, & alijs, qui primi instituisse Collegia Monachorum, dicuntur.* Sic videre est plura alia, tam ex Luthero, quàm ex Caluino (quæ allegant ex ipsis, & ad oculum deducunt nostri Doctores) erroris, vel superstitionis alicubi damnata ab illis: & alibi pro veris dogmatibus, & Sanctis institutis habita. Legatur, præter alios, Becanus *Tom: 5. de Eccl: Reform: Concl: 9.* Ostensum quoq; est in superioribus, *Act: 1. Cap: 2. §. 2. n. 9.* ea dogmata, quæ nobis imputant Aduersarij pro erroribus, communia nobis esse cum SS. Patribus primorum sæculorum. Insuper ostensum est, *Act: 2. Contr: 2.* omnia quæcunq; adducũt Aduersarij, ad probandas suas imputationes, saltem euidenter negatiuè solui à nobis.

dos, & Reliquias eorum colẽdas agnoscit.

Etiã Purgatoriũ.

Etiam Institutum Monasticum laudat.

Tandem intolerabile est prorsus, admittere, quòd aliquis error in fide, in totam irrepserit Ecclesiam: cuius fides si vel in vno puncto corrupta, tota est corrupta. Vt enim S. Augustinus *Epist: 8.* ad S. Hieronymum de Scripturâ S. loquitur: *Admisso in tantum authoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in*

Authoritas Script: S. tota vacillat, si in vno falsa.

dubium reuocari. Ita à simili: vbi fides Ecclesiæ, vel in vno puncto nutat, & periclitatur, tota reuocatur in dubium; quod alioqui fusiùs probatum est suprà, *Act: 1. c. 2. §. 2. n. 14.*

Itaq; nullos penitus abusus in materiâ Religionis, siue fidei, in Ecclesiam aliquando irrepsisse admittimus. Quod si aliqui ex Catholicis nostris Doctoribus, (qui vulgò ab Aduersarijs allegantur) contrarium videntur indicare; vel eos, & eorum dicta prorsus reijcimus, tanquam suspectos Catholicos: vel, vbi patiuntur, sic explicamus, vt non totam Ecclesiam, sed plures aliquos ex Ecclesiâ, labi in errores cótrà fidem asserant; quod nihil nostræ Positioni obest: à tot enim sæculis ex Ecclesiâ varij Hæretici, immò & Hæresiarchæ prodeunt: sed hoc malum non intra Ecclesiam reponitur, verum extra Ecclesiam protruditur, manente ipsâ Ecclesiâ semper illibatâ, in fide integerrimâ. Vel certè indicant aliquos, fortasse ex simplicitate, aut ruditate, & defectu debitæ instructionis Pastorum, in quosdam errores materiales, aut aliquas superstitiones incidere: quæ tamen omnia non præiudicant fidei integræ, quam nonnisi error formalis corrumpit: nec ab Ecclesia approbantur; immò potiùs improbantur & corriguntur: & similes negligentiæ inferiorum Pastorum, à vigilantioribus Pastoribus altioribus castigantur.

De Abusibus in materia Morum.

Deinde; in Materia quoq; Morum, & circa praxes, multi Abusus ab Aduersarijs obijciuntur; multa scilicet peccata, immò crimina, quæ committuntur, vel commissa sunt aliquando, siue à Prælatis Ecclesiasticis, siue à subditis. Et hæc

hæc quidem reperiri, & aliquando reperta fuisse, non diffitemur; neq; id fateri abhorremus, quod nec S. Augustinus horruit fateri: *Nos*, inquit ille Tract: 6. in Ioan: *fatemur in Ecclesiâ Catholicâ, & bonos, & malos esse: sed tanquam grana, & paleas.* Et *in Epist: S. Ioan: tract: 3.* comparat Ecclesiam corpori, quod non solùm membra, sed etiam humores in se malos complectitur: Sic in Ecclesia bonos, membra: prauos, humores malos vocat: (prout secundùm aliam Analogiam dixi suprà, *Act: 1. Cap: 2.* §. *2. n. 1.* aliquos externè duntaxat fidem Christi confitentes, ad Corpus Ecclesiæ tanquam humores pertinere.) De his ergò malis loquens S. Augustinus: *Qui sunt intus*, ait, *certè sunt in Corpore Domini nostri* IESV *Christi: quandoquidem adhuc curatur Corpus ipsius: & sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum. Sic sunt in Corpore Christi, quomodo humores mali: quando euomuntur, tunc releuatur corpus: sic & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur. Et dicit quando eos euomit, atq; proijcit corpus: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me: non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cùm inessent.* Et infrà: *De voluntate suâ vnusquisq; aut Antichristus, aut in Christo est: aut in membris sunt viuis, aut in humoribus malis. Qui se in meliùs commutat, in corpore membrorum est: qui autem in malitiâ permanet, humor malus est: Et quando exierit releuabuntur, qui premebantur.* In idem S. Hieronymus in Cap: 1. Ephes: *Quomodo Caput plurima sibi habet membra subiecta; è quibus sunt nonnulla vitiosa & debilia: ita est Dominus noster* IESVS *Christus, cùm sit Caput Ecclesiæ habet membra, omnes qui in Ecclesiâ, congregantur, tam Sanctos videlicet,*

In Ecclesia boni, & mali.

Quando mali exeunt ab Ecclesiâ, tunc corpus Ecclesia sicut à malis humoribus releuatur.

quàm peccatores. Et in Cap: 5. *Non audeo ergò, eos etiam peccatores, & gehenna reos, negare membra magni Corporis Christi, & grandis Ecclesiæ, speciosæ, & fuscæ, quos Apostolus dicit in vno spiritu baptizatos.* Et S. Gregorius Hom: 38. in Euang: *Quonsq; hîc viuimus, necesse est, vt vitam præsentis sæculi permixti peragamus. Tunc autem discernimur, cùm peruenimus. Boni enim soli, nusquam sunt nisi in cælo, & mali soli, nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cælum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita vtramq; partium Ciues communiter recipit: quos tamen Sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit; postmodùm in egreßione discernit:* Idem fusiùs postmodum prosequitur, & comprobat.

Ecclesia speciosa, & fusca.

In hac vita boni & mali permixti.

Licet ergò Ecclesia semper habuerit, & censebatur à SS. Patribus, habuisse malos; semper tamen erat vera Christi Ecclesia. Sic & modo licet in Ecclesia Catholica reperiantur mali, non tamen illi mali præiudicant Ecclesiæ Christi, quominùs sit vera Christi Ecclesia, & vera fides illius. Nam vt benè ait Tertullianus de Præscr: c. 3. *Non ex personis fidem, sed ex fide personas metimur.*

Mali non præiudicant Ecclesiæ.

Licet item ipsi Pastores supremi corruptißimis sint quandoq; moribus: nec hoc quidem adhuc fidei integritati derogat. Vt enim optimè ait S. Augustinus L. 4. de Doctr: Christ: c. 27. *Pro fide Petri, non pro Petri charitate orauit Dominus. Et possunt vtiliter audiri, qui tamen vtiliter non agunt. Cathedra, non ipsorum, sed Moysi, cogit bona dicere etiam non bona facientes. Agunt quandoq; sua, in vitâ suâ, docere autem sua, Cathedra eos non permittit aliena.*

Nec ipsi Pastores, si mali.

Pro fide, nō pro charitate Petri orauit Dominus.

At hoc valdè mirandum, quòd Aduersarij attendunt ad malos

Boni potiùs quam

ad malos in Ecclesiâ, non attendunt etiam ad bonos; qui tamen nunquam desunt; immò singulis sæculis aliqui singulari pietate & sanctitate excellunt, prout indicaui *in Act: 1. c. 2. §. 2.* cùm agerem de secundâ veræ Ecclesiæ Notâ. Facilè Aduersarij scādalizantur de malis in Ecclesiâ, non item de tot viris exemplaribus, & Sanctis ædificantur. Numerāt criminosos, nō computant probos. Exaggerant vitia, non commēdant virtutes. Quos optimè Gilbertus Abb: *Ser: 46. in Cant:* ad illa verba: *Adiuro vos Filiæ Ierusalem. &c.* perstringit, cùm ait: *Quid tu, qui fratrum mauis vitia numerare, quàm virtutes, damna quàm dona, condemnare quàm commendare? si te ad commendationem adiuratum non sentias, non es iam Hierusalem filia, sed filia Babylonis. Filia Babylonis misera, quis retribuet tibi retributionem? Retribuetur enim tibi. Dedisce Babylonis filia esse, barbaros depone mores. Desine in Sanctis numerare magis detrimenta, quàm lucra: sufficiat tibi iniuriandi malitia: noli saltem foris nunciare: noli prædicare sodalibus tuis. Nam sodales sponsi, aurem non accommodant, si deroges sponsæ. Ipse sponsus ægrè audit iniurias dilectæ. Cuicunq; dicis, illi dicis. Auris enim zeli audit omnia. Temerarium est dilectam condemnare dilecto. Bona sibi mauult nunciari de sponsa, & cōmendationi promptius aurem præbet.* Hæc ille: quæ apprimè eruiunt detrahentibus Ecclesiæ Christi Sponsæ, in suis membris.

mali considerandi.

Virtutes magis quā vitia in alijs notanda.

Quàm laudabilis S. Hieronymus, qui cùm vrgeretur, vt Sanctorum Virorum aliquos saltem, vel exiguos produceret defectus, quò conuinceret Pelagium, asserentem, posse hominem, absque aliquâ labe peccati, in præsenti viuere; etiamsi

S. Hieronymus etiam manifesta peccata aliorū volebat occultare.

etiamsi causa fidei ageretur, sic nihilominùs cautè huic quæstioni Sanctus Doctor voluit se subtrahere, L. 2. cont: Pelag: *Quæris*, inquit, *vbi Abel, vbi Enoch, vbi Iesus Naue, vbi Elisæus peccauerint? Non est necesse nodum in scyrpo quærere. Vtinam possem manifesta reticere peccata.* Aduersarijs nostris placet etiam occultissima, vtinam non sæpè falsissima, propalare: notissima verò, & publicissima sanctitatis exempla, non dico reticere, sed pleraq; etiam traducere, & in prauum interpretari, ac detorquere.

§. 2.

An similes, vel peiores Abusus, & corruptiones Religionis, & Morum, apud Aduersarios reperiantur, his, quos Catholicis obijciunt?

Culpabilis malè alios reprehendit. OMni culpâ vacare debet, qui paratus est in alium dicere, ait Parens Romanæ Eloquentiæ. Vtinam Aduersarij secum priùs computarent, an non similes, aut etiam deteriores Abusus & excessus, vel in ipsâ prætensâ eorum Reformatione Ecclesiæ, reperiantur, antequàm Ecclesiam nostram Catholicam, velut vnam ex Publicanis, proclamassent. Iam verò ab ipsis necessitati, vrgemur vel inuiti, eorum impetus retundendo, & ab imputatis criminibus, Ecclesiam nostram Catholicam vindicando, ipsorum quoq; Abusus recensere.

Quanti apud Ad- Et imprimis quidem in materiâ Religionis, plurimi apud illos irrepserunt Abusus, vt interim ipsos Principales errores

errores reticeam. Ex quo enim prætextum suæ ab Ecclesiâ Catholicâ secessionis eum opponebant, quasi fidem sepultam apud nos, suæ integritati vellent restituere, in eumq; finem, solam fidem iustificare, cæpissent iactare; reliqui illorum Sectæ, subtilitatem eorum, quâ per hoc dogma, bona opera dicunt non excludi, minùs percipientes, tantùm odium, & contemptum bonorum operum conceperunt, vt videre sit, vulgus indoctum, passim ridere bona opera, exsibilare ieiunia, preces, deuotiones Sanctas, &c. Ex quo similiter inualuit dogma, de Cultu Sanctis non exhibendo, quales ac quantæ in plebe blasphemiæ contra Sanctos passim à nostris auditæ, & hucusq; audiuntur? Quin & ipse Lutherus *in 1. Pet*: ausus est dicere: *Pares sumus in honore & sanctitate D. Petro, D. Paulo, Deiparæ Virgini*. Et Serm: quodam de Beatissima Virgine: *Tam nos Sancti sumus*, inquit, *atq; Maria*. In hæc, & similia, contingit frequenter Aduersarios, suorum pertinaciori defensione dogmatum, prorumpere, quæ non possunt non offendere quemlibet pium Christianũ. *Aduersariorum Abusus in Religione.*

Multi præterea Abusus grauissimi, non absimiles illis, quos S. Optatus Mileuitanus (qui non nihil præcessit S. Augustinum) notat & damnat in Donatistis, vsitati sunt inter Caluinistas; nonnulli etiam miraculosâ animaduersione cælesti, sicut apud Donatistas, ita apud Caluinistas castigati. Libet aliquos E. C. adducere.

Donatistæ prædicti, teste memorato S. Optato, Lib: 6. contra Parmenian: *Altaria frangebant, radebant, remouebant, in quibus*, inquit, *vota populi, & membra Christi portata sunt*: Calices quoq; *Christi Sanguinis* (vt vocat) *portatores*,

 frange-

frangebant, vendebantq;: Idem & modo faciunt Caluinistæ de Altaribus, & Sacris Vasis, dum Ecclesiæ Catholicorum, in potestatem illorum veniunt.

Iidem Donatistæ, teste eodem S. Optato: *Ampullam Chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt. Et cùm casum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subuectione deduceret: proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.* An non similes irreuerentias, Sacro Chrismati, à tot sæculis in Ecclesiâ, in tantâ veneratione habiti, Aduersarij moderni irrogant? quod etiam quidam modernus Lutherista *seuum Papisticum*, non est veritus vocare; de quo alibi.

Animadu: c 9. f. 45.

Iidem Donatistæ, teste eodem S. Optato ibidem L. 2. *Iusserunt Eucharistiam canibus fundi*; vtq; subdit, *non sine signo Diuini iudicij. Nam ijdem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi Latrones, Sancti Corporis reos, dente vindice tanquam ignotos & inimicos, laniauerunt.* Ad similes Abusus circa Sacrosanctam Eucharistiam deuenerunt Caluinistæ: ex quo enim realem Christi præsentiam sub speciebus Sacramentalibus negârunt, miris & varijs Sacras Hostias iniurijs affecerunt, etiam bestijs ad edendum sparserunt: non sine prodigiosâ quoq; plagâ cælesti. Notabile est, quod in hac materiâ refert Gaulterius circa sæculum 16. in Euentib: Memorab: *Anno 1591. quo tempore obsidebatur Vrbs S. Portiani in Aruerniâ, Dux quidam militum Caluinianus in pago Contigny collocatus, cui erant in cuiusdam Rustici domo quatuor insignes equi, vbi audiuit esse Ecclesiam in eâ Paraciâ satis benè ornatam, ingredi in eam voluit, inspectoq; Sacrosanctæ Eucharistiæ Ciborio, di-*

rio, dixit: Audio Papistas manducare cibum, qui est in hoc vasculo: probare cupio, an equi mei sint etiam illum comesturi. Itaq; altare nititur conscendere ad capiendum Sacrum Ciborium: at supinus in terram corruit. Nec priùs exsurgere potest, quàm ecce vnus ex famulis domo aduectans, ei renunciauit suos omnes equos in substramine esse concrematos, atq; in cinerem redactos, ipsis capistris ac straminibus prorsus illæsis. Quò properans ipse Dux, rem, multis circumspicientibus ita se habere deprehendit. Ita etiam comprobauit Dominus à S. Portiano Anno 1599. misso eam ob rem in Pagum Contignensem Antonio Micheleto, qui hæc omnia illic sigillatim didicit, tum ex D. Petri Berlandi Presbyteri, tum ex Magistri Chauloni Notarij publici, tum ex aliorum multorum Parochianorum testificatione. Hæc ibi.

Deniq; (vt plura alia omittam) introduxerunt Caluinistæ circa Imagines Sacras, & illorum irreuerentiam, similes Abusus illis, quos olim Octauo Sæculo Iconoclastæ damnati à VII. Synodo Generali Nicenâ, & à Doctoribus Catholicis pro tunc degentibus, vnanimi consensu refutati, mouerant; & ante illos impius Apostata Iulianus Sæculo Quinto; cuius impietatem erga Sacras Imagines, non modò SS. Patres, qui eo tempore floruerunt, scriptis suis represserunt, sed etiam vltor de cælo ignis vindicauit. Vt enim refert Sozomenus *L. 5. c. 20.* Iulianus Apostata deiecerat imaginem IESV Christi Paneade, siue Cæsareæ Philippi, ab illâ Hæmorrhoissâ Euangelicâ erectam; ex quâ teste Eusebio, *L. 7. Hist: c. 14.* ac Theophilacto *in Matt: 19.* innumera prodiere miracula. Ad pedes enim illius crescebat

herba inuſitata & incognita, quæ vbi ad fimbriam veſtiméti peruenerat, morbos omnes curabat. Deiectâ ergò illâ imagine Chriſti, ſuam Iulianus effigiem, ſiue ſtatuam in locum eius repoſuit. Et ecce confeſtim ignis de cælo deſcendens, ſtatuæ Imperatoris caput à trunco, non ſecus atq; olim idolo Dagon, *1. Reg: 5.* diſcindit. Vbi obiter notandum, quod Centuriatores, poſtpoſitâ authoritate Hiſtoriæ, ſolo arbitrio ; & ſolitâ licentiâ ſuâ, auſi ſunt imagini Saluatoris affingere, quod Apoſtatæ Iuliani ſtatuæ contigit. Similes, immò grauiores irreuerentias erga Sacras imagines introduxerunt Caluiniſtæ, non modò eas reijcientes, verùm ignominiosè quoq; tractantes : quod etiam Deus, prodigioſis ſupplicijs nonnunquam ſeueriùs in ipſos animaduertendo, caſtigauit.

Adducit prædictus Gaulterius, vbi ſuprâ duo exépla de imagine S. Antonij ; Vnum eſt, quod contigit Anno 1566. Buſciducis, vbi aliqui S. Antonij imaginem gladijs, aſciâ, & bipennibus, vt eam in viâ publicâ incendio diſperderent, concidentes, repentè ſacro igne per totum corpus, inſtar granorum piperis, ebulliente, corripiuntur, & poſtridie animam efflant. Hoc, refert Lindanus *Lib: de Fugiendis Idolis*, ſe accepiſſe ex Notarij publici, aliorumq; plurimorum teſtimonio.

Alterum quod contigit Anno 1576. in villa Suolci, vicinâ vrbi Caſtilionenſi, vbi tres milites ex pedeſtribus copijs Ducis Alenſonij, Regis Chriſtianiſsimi Fratris, imaginem S. Antonij præ foribus templi erectam, multis primùm iniurijs, ludibrijs, dicterijs impetunt : deinde caput eius

galeâ,

galeâ, manus verò armant hastâ, hanc, inter alias, blasphemiam euomentes: *Tu, si quid vales, si qua tibi potestas, nunc eam demonstra contra nos, ac te defende.* Quo dicto, suorum armorum crebris ictibus imaginem feriunt: atq; vnus, bis, terue displosâ bombardâ, faciem eius inter mentum, & labrum inferius globulo tormentario sacrilegè dilacerat. At non impunè: eodem quippè momento eiulans exclamat: *Totus ardeo, totus comburor:* statimq; in terram prolapsus demoritur, igne, qui eum vorabat, per eum faciei locum, quasi factâ viâ, erumpente ac perlucente, quo imaginem lacerârat. Alter Dei quoq; manum sentiens, exclamat, ignis vim se ferre non posse; volensq; intestina tormenta per aquã effugere, in proximum torrentem insiliens, statim aquis submergitur. Tertius horrendum commilitonum exitium intuitus, sui impos atq; exanimis, in domum vicinam deportatus est, ardentissimisq; febribus æstuans, ad commiserationem mouit circumstantes Catholicos, qui ad templũ confugientes, hominem tum Augustissimo Missæ Sacrificio coram ipsâ S. Antonij imagine celebrato, tum aquâ benedictâ, tum assiduâ comprecatione, ita adiuuerunt, vt miser statim sibi redditus, crimen agnouerit, Dei misericordiã inclamârit, errorem accusârit, omnium deprecationem supplex flagitârit. Quibus omnibus ita Deus placatus est, vt pristinam illi valetudinem statim restituerit: *Hæc suis videre oculis tria minimùm hominum millia*; vt refert Author Historiæ Miraculorum illustrium, ex libello Parisijs illo ipso Anno 1576. apud Guilelmum Merlinum edito. Cui consentit, quod memini me per id tempus, rem eandem quasi

herba inuſitata & incognita, quæ vbi ad fimbriam veſtimẽti peruenerat, morbos omnes curabat. Deiectâ ergò illâ imagine Chriſti, ſuam Iulianus effigiem, ſiue ſtatuam in locum eius repoſuit. Et ecce confeſtim ignis de cælo deſcendens, ſtatuæ Imperatoris caput à trunco, non ſecus atq; olim idolo Dagon, *1. Reg: 5.* diſcindit. Vbi obiter notandum, quod Centuriatores, poſtpoſitâ authoritate Hiſtoriæ, ſolo arbitrio, & ſolitâ licentiâ ſuâ, auſi ſunt imagini Saluatoris affingere, quod Apoſtatæ Iuliani ſtatuæ contigit. Similes, immò grauiores irreuerentias erga Sacras imagines introduxerunt Caluiniſtæ, non modò eas reijcientes, verùm ignominiosè quoq; tractantes: quod etiam Deus, prodigioſis ſupplicijs nonnunquam ſeueriùs in ipſos animaduertendo, caſtigauit.

Adducit prædictus Gaulterius, vbi ſuprâ duo exẽpla de imagine S. Antonij; Vnum eſt, quod contigit Anno 1566. Buſciducis, vbi aliqui S. Antonij imaginem gladijs, aſciâ, & bipennibus, vt eam in viâ publicâ incendio diſperderent, concidentes, repentè ſacro igne per totum corpus, inſtar granorum piperis, ebulliente, corripiuntur, & poſtridie animam efflant. Hoc, refert Lindanus *Lib: de Fugiendis Idolis*, ſe accepiſſe ex Notarij publici, aliorumq; plurimorum teſtimonio.

Alterum quod contigit Anno 1576. in villa Suolci, vicinâ vrbi Caſtilionenſi, vbi tres milites ex pedeſtribus copijs Ducis Alenſonij, Regis Chriſtianiſsimi Fratris, imaginem S. Antonij præ foribus templi erectam, multis primùm iniurijs, ludibrijs, dicterijs impetunt: deinde caput eius galeâ,

galeâ, manus verò armant hastâ, hanc, inter alias, blasphemiam euomentes: *Tu, si quid vales, si qua tibi potestas, nunc eam demonstra contra nos, ac te defende.* Quo dicto, suorum armorum crebris ictibus imaginem feriunt: atq; vnus, bis, terue displosâ bombardâ, faciem eius inter mentum, & labrum inferius globulo tormentario sacrilegè dilacerat. At non impunè: eodem quippè momento eiulans exclamat: *Totus ardeo, totus comburor:* statimq; in terram prolapsus demoritur, igne, qui eum vorabat, per eum faciei locum, quasi factâ viâ, erumpente ac perlucente, quo imaginem lacerârat. Alter Dei quoq; manum sentiens, exclamat, ignis vim se ferre non posse; volensq; intestina tormenta per aquā effugere, in proximum torrentem insiliens, statim aquis submergitur. Tertius horrendum commilitonum exitium intuitus, sui impos atq; exanimis, in domum vicinam deportatus est, ardentissimisq; febribus æstuans, ad commiserationem mouit circumstantes Catholicos, qui ad templū confugientes, hominem tum Augustissimo Missæ Sacrificio coram ipsâ S. Antonij imagine celebrato, tum aquâ benedictâ, tum assiduâ comprecatione, ita adiuuerunt, vt miser statim sibi redditus, crimen agnouerit, Dei misericordiā inclamârit, errorem accusârit, omnium deprecationem supplex flagitârit. Quibus omnibus ita Deus placatus est, vt pristinam illi valetudinem statim restituerit: *Hæc suis videre oculis tria minimùm hominum millia*; vt refert Author Historiæ Miraculorum illustrium, ex libello Parisijs illo ipso Anno 1576. apud Guilelmum Merlinum edito. Cui consentit, quod memini me per id tempus, rem eandem quasi

totâ Galliâ peruulgatam audiuisse. Hæc Gaulterius.

Nec illud exemplum omittendum putauerim (esto publicam causam Religionis agens, nollem tangere, vel immiscere res, priuatæ meæ Religionis) quod recentiori contigit memoriâ. Nimirùm; V. P. Dominicus à IESV MARIA, Ordinis nostri quondam Præpositus Generalis, Vir magnæ Sanctitatis, reperit in Oppido, Straconic dicto, in Bohemiâ, imaginem Deiparæ Virginis, & Christi recens nati, cum alijs personis, quæ vulgò circa hoc mysterium solent exprimi, effossis, hæreticorũ iniuriâ, oculis, proiectá in quisquilias, & sordibus obrutam ac sepultã; eamq; mox magno zelo eleuans, & emundans, prætulit postmodum, velut potentissimum contra Hæreticos telum, in illo celebri ad Pragam prælio, quod cum Rebellibus Augustissimi olim Imperatoris Ferdinandi II. Anno Domini 1620. rebus ex parte Cæsaris prorsus desperatis, & imparibus omninò viribus, contra omne humanum consilium, in verbo prædicti V. Patris, Dei nomine, felicem futurum successum denunciantis, commissum est. Ibiq; gloriosissimâ Virgine, Catholicis subsidia, suâ apud Deum prece, ferente, insignis, totiq; Orbi notissima, pro parte Imperatoris obtenta est Victoria: quã Cæsariani, singulariter, post Deũ, Virgini Deiparæ, communi calculo detulerunt; quæ in suâ illa imagine facta erat suis hostibus, *terribilis, sicut castrorum acies ordinata*, eorumq; robur contriuit, ac profligauit, & de ignominiosissimè profligatis, Gloriosissima Triũphatrix, nobile Trophæum retulit: Sicq; demum, pro enormi suæ imagini iniuriâ irrogatâ, meritas de hæresi sumpsit pœnas. Hinc & imago

illa,

illa, ex tunc vsq; ad præsens, appellata est Imago S. Mariæ de Victoria: & magnâ cum solemnitate Romam introducta, ac in Ecclesiâ nostrâ in monte Quirinali deposita, & per S.C.M. Ferdinandum II. & Serenissimum Ducem Bauariæ, pro tunc in castris præsentem, ac horum omnium viuum testem, aliosq; Principes Catholicos, pretiosis donarijs, & muneribus cumulata.

Ex his itaq; patet quanta & quàm immensa ex dogmatibus Aduersariorum proueniunt Absurda, & scandala: & quanti, quàmq; scandalosi abusus in materiâ Religionis inuehuntur; quos etiam in præsenti sæculo, vindex ira Dei, manifestis prodigijs, miraculosè castigando, improbat.

Omitto plurima alia, quæ nõ minùs eruditè, quã efficaciter prosequitur Becanus *Tom: 4. suorũ Opusculorum, Titulo 2. Reformati*, vbi per plura dogmata Religionis Christianæ discurrendo, ostendit, quomodo Aduersarij, non in melius doctrinam fidei, & morum reformârint, sed in peius deformârint, variosq; abusus & errores introduxerint. Et quidem suprà *Act: 1. c. 2.* §. *2. n. 10.* indicaui apud doctissimum Grauinam, errorum modernæ Sectæ hominum, cum erroribus antiquorum hæreticorum, Harmoniam: addo nunc Grauinæ Gaulterium, qui per totam suam Chronologiam, varias cuiuslibet sæculi Hæreses recensens, simul ad oculum monstrat, in quo Caluinistæ, cum singulis illarum, conueniant in suis dogmatibus. Vt hinc intelligas, quàm incongruum valdè medium, seu instrumentum, reformandi (quod prætendebant) Ecclesiam, abususq; tollendi, assumpserint; antiquos scil: errores hæresum, pridem ab Ecclesiâ repressos, & explosos, rursum ex suis tumulis suscitando. Por-

Quanti abusus apud aduers: in moribus Porrò: quantùm attinet ad ipsos quoque in moribus Abusus, de his, vel ex ipsissimet Aduersarijs (ne fortè contra allegata, tanquam conficta, excipiant, si nostrorum dictis probentur) libet adferre testimonia, qui claris & disertis verbis fatentur suum Cætum, ex quo ab Ecclesiâ nostrâ Catholicâ separati sunt, non modo non in meliùs profecisse, sed in peius, & longè deteriùs processisse. Sic Caluinus in Cap: 11. Daniel: *In exiguo*, inquit, *illorum numero, qui sese ab Idololatrijs Papatus subduxerunt, maior pars, plena est perfidiâ & doli. Præclarum quidem zelum simulant; si tamen intùs excutias, reperies plenos esse fraudibus.* Et in Comm: 2. Pet: 1. *Vix eorum decimus quisq; est, qui alio fine, nomen Euangelio dederit, quàm vt solutiùs in omnem lasciuiam diffflueret.* Et in Concione 10. Gallicè scriptâ *in Epist: ad Ephes:* suæ Sectæ homines vocat: *omnium mortalium sceleratissimos ac facinorosissimos*, & cùm verba illorum sceleribus satis congrua inuenire non posset, *tetra monstra, & malos genios, humanam formam indutos* appellauit.

Quid Caluinus de suis Reformatis sentit.

Quomodo Secta Lutherana homines facti sunt deteriores, teste ipso Luthero. Iam verò Lutherus *in Serm: Conuiu: c. 55.* haud meliora quoq; de suis profert: *Ex quo tempore*, inquit, *pura Euangelij doctrina reuocata fuit, mundus in peius semper ruit.* Et vt intelligas, de quonam mundo, vel de quibus mundi hominibus loquatur, explicat clariùs in Postillâ Dom: 1. Adu: Conc: 2. *Mundus ex hac doctrinâ:* quam scilicet cæperat prædicare, *quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis Diabolis obsidentur, cùm antea*, scilicet in Papatu, *vnico tantùm Diabolo obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendidâ Euangelij luce, sint*

auarie-

auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multo deniq; deteriores, quàm prius in Papatu fuerant. Et pro Dom: 26. post Trinit: *Antea*, inquit, *cùm ad Pontificis seductionem, & falsum Dei Cultum cogeremur, ad bene operandum, quilibet vltrò sequebatur: nunc quisq; nihil aliud nouit, quam iniquis exactionibus, rapinis manifestis, furtis, mendacijs, vsuris, omnia ad se transferre. Tam insigniter mali fieri coguntur homines in gratiam Euangelij, cuius virtute ex captiuitate Pontificis, in gratiam asserti sunt: ita vt non amplius humano, sed Diabolico more, omnem misericordiam exuerint, &c.* Et in 1. Cor: 15. *Futuræ vitæ nullam habent rationem, sed sicut credunt, ita viuunt. Sunt & manent sues: & sicut sues moriuntur. De Euangelio loquuntur, quasi sint Angeli, sed si opera spectes, sunt meri Diaboli.* En quod testimonium ipsi Reformatores, de suis Reformatis perhibent.

Fidem facit prædictis Erasmus, ipsis olim amicitior, qui in Epistolâ ad Vultur: *Circumspice*, inquit, *populum istum Euangelicum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Et plura alia ibidem; & similia in spongiâ ad Hutten. *Idem testatur Erasmus.*

Huic accedat Iacobus Andreæ Smidelinus Cõcord: 4. in cap: 22. Luc: *Nostri homines*, inquit, *ne pro Papistis habeantur, omnia bona opera contemnunt. Loco ieiunij, dies noctesq; pergræcantur. Pauperes non vestiunt, sed spoliant. Precationes* *Idem testatur Smidelinus, & alij.*

 in blas-

in blasphemias vertunt. Nec inter Turcas tanta reperitur impietas. Superbia, humilitatis locum obtinet: nihil nisi ambitionem & fastum videre est. Quòd si quis eos reprehendat, Euangelij statim Reformationem obijciunt.

Concludat hoc agmen testimoniorum Paulus Eberus *in Epist: ad Cor:* de malis sui Cætus loquens: *Cùm hæc mala,* inquit, *quisq; proprijs oculis intuetur, meritò dubitat, an noster Euangelicus Cætus, vera sit Ecclesia, nec ne?* Sic & ipsi Authores prætensæ Reformationis, & eorum amici, insuper & discipuli, palàm fatentur, immò queruntur, homines sui Cætus, illâ præsumptâ Reformatione, non ad sanctiora, sed ad deteriora delapsos: censentq; longè melioris vitæ, conuersationis, & conscientiæ, ac sub meliori disciplinâ esse homines, in Papatu (vt vocant) quàm extra illum. Hinc obseruatum est quoq; à multis, quod pleriq; illorum in quibusdã locis, malunt habere à suis obsequijs homines Catholicos, quàm homines suæ Sectæ, tanquam illos, præ his, fideliores: eò quòd Catholici frequentent Confessiones; in quibus ad restitutionem, si quod fortè damnum intulerint, obligantur.

Quo fine hæc & similia adducuntur. Hæc autem, sicut & quædam alia in superioribus, scilicet de malè tractatis SS. Patribus, ab illis Sectarum Principibus, & similia quæq;, non eo fine adduco, vt improperem, vel insultem Aduersarijs, de quorum etiam multis meliora sentio, & spero sed vt ponam illos sibi ante oculos suos, & nonnisi quantùm ad causam meam propugnandam sufficit & requiritur: ideoq; sine vllis exaggerationibus, & exasperatiuis amplificationibus, simplicissimo duntaxat stylo hæc

lo hæc ex ipſiſmet Aduerſarijs, profero, immò ipſis Aduerſariorum verbis produco; ita vt ſi quod eſt crimen in eo, nō in me, ſed in primos Authores ſit refundendū. Demùm, liceat mihi pro ipſis, quod licuit & olim S. Auguſtino pro Manichæis, Dominū ijſdē verbis deprecari: *Conſtitue Domine Sectarios, ante faciem ſuam, vt videant quàm turpes ſint* (vbi ſe iactant reformatos) *quàm diſtorti, & ſordidi, & maculati, & vlcerati. Impingas eos in oculos ipſorum, vt inueniant iniquitatem ſuam*: quam nimirùm curiosè nimis in domo Dei, & Eccleſiâ Chriſti ſcrutātur, in ſeipſis verò cōſiderare negligūt.

§. 3.

An propter aliquos Abuſus, ſeu vitia quorundam in Eccleſiâ, poſſit fieri legitima ab eâdem Eccleſiâ ſeparatio?

HActenus oſtendi, qualiter Aduerſarij ad ſuos longè grauiores Abuſus, qui per hæreſim, apud ipſos ſunt introducti, clauſos habeant oculos, ad noſtros nimis apertos: ſuos diſsimulēt, noſtros prætexant, & opponāt, quaſi propter illos receſſerint ab Eccleſiâ, vel ad eā redire nolint. Hoc ſēper, (vt initiò huius Actionis notaui) ingeniū eſt Hæreticorū, corruptam ſcilicet prætendere Eccleſiam, quò ſuam iuſtificent cauſam: vt dum ab eâ ſe ſeparant, non cenſeantur Apoſtatæ, ſed Reformatores, aut Reformati. *Hæreſes quà arte ſuū ſchiſma tegant.*

Quod obſeruans Tertullianus, iam alibi citatus, *L. de Præſcript: c. 28. & 29.* ſic per ironiam ſui temporis hæreticos exagitat, & confutat: *Age nunc omnes errauerint Eccleſiæ: de-* *Tertulliani inſignis locus cōtra*

Hæreticos Ecclesiã quasi corruptam reformare præsumentes.

ceptus sit & Apostolus, de testimonio reddendo quibusdam: nullam respexerit Spiritus S. vt eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? Nullus, inter multos euentus, est vnus exitus. Variasse debuerat error Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergò aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt. Quoquomodo sit erratum, tamdiu vtiq; regnauit error, quamdiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas, & Valētinianos (addo sicut ante, Lutheristas, & Caluinistas) liberanda veritas expectabat: interim perperam euangelizabatur, perperam credebatur, &c. Hæc ille.

N.B. Energiam rationis.

Vide Animad: c. 6. f. 29.

Et sanè prætextus iste, quem suæ ab Ecclesiâ secessionis, allegant Aduersarij, non ita excusat eos, sicut ipsa secessio accusat, & condemnat. Semper enim nota propria hæresis erat ab Ecclesiâ exire; quantumuis nulla, sine colorato titulo, & prætextu aliquo, exiuerit. Vnde S. August: Tract: 3. in Epist: S. Ioan: *Omnes* inquit, *Hæretici, omnes Schismatici ex nobis exierunt: i. e. ex Ecclesiâ exeunt.* Et post pauca: *Si ergò ex nobis exierunt, Antichristi sunt, si Antichristi sunt, mendaces sunt, si mendaces sunt, negant esse Christum*; non quidē verbis, vt postea subiungit, sed factis. At quoniam præuidit S. Augustinus, quòd idem possent obijcere nobis Aduersarij, subiungit ibidem: *Hæc quæstio, & nos, & ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus Antichristi, aut illi sunt Antichristi. Illi nos Antichristos vocant, & dicunt quòd exiuimus ab eis; nos illos*

Omnes hæretici ex nobis exierunt.

illos similiter. Cæterùm huic quæstioni abundè paulò ante satisfecit S. Augustinus, cùm diceret: *Aut ipsi à nobis exierunt; aut nos ab ipsis? Sed absit, vt nos ab ipsis. Habemus enim testimonium Dominicæ hæreditatis: recitamus: & ibi nos inuenimus. Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tenemus hæreditatem Christi: illi eam non tenent: non communicant Orbi terrarum: non communicant Vniuersitati redemptæ sanguine Domini.* Et post pauca: *Securi sumus de vnitate hæreditatis: Quisquis huic hæreditati non communicat, foras exijt.* En quo indicio discernit S. Augustinus eos qui exierūt ab Ecclesiâ, ab ijs qui nō exierunt; quia nimirùm hi tenent Religionem, quæ toto orbe prædicatur, non item illi. Conferant nunc Aduersarij restrictam ad certos orbis angulos suam Religionem, cum vniuersitate Catholicæ nostræ Religionis, toto orbe diffusæ: & ipsi sint Iudices.

Quo testimonio probantur aliqui esse in vera Ecclesia.

Ex alio capite viderint, an prætensa illorum Reformatio, ad maius bonum profuerit; vel secessio illorum, prætextu Abusuum, non in maius detrimentum cesserit? & an ijdem prætensi Abusus, excusent coram Deo, & hominibus eorum diuulsionem? Videndus est S. Augustinus *Epist: 209.* vbi ad quandam virginem, malâ quorundam Ecclesiæ Pastorum vitâ, non leuiter scandalizatam, scribens, & admonens ipsã, ne scandalis illis offensa ab Ecclesiâ recederet, hæc inter alia ait: *Admoneo te ne grauiùs perturberis his scandalis; quæ ideo ventura prædicta sunt, vt quando venirent, reminisceremur esse prædicta, & non eis valdè commoueremur.* Et post pauca, vbi bonorum & malorum Pastorum distinctionem posuisset: *Ista*, inquit, *duo genera Pastorum, alijs morientibus,*

alijs nascentibus, in ipsâ Catholicâ Ecclesiâ, necesse est vsque ad finem saculi, & vsque ad Domini iudicium perseuerent. Si enim tẽporibus Apostolorũ fuerunt tales, inter quos falsos fratres Apostolus gemeret. &c. quantò magis temporibus nostris necesse est vt sint, cùm de tempore huius saculi, quod propinquat ad finem, apertissimè Dominus dicat. Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et paulò post, bonos Pastores audiendos & imitandos, malos audiendos iubet, vi verborum illorum Christi, Matth: 23. *Super Cathedram Moysi, &c.* Tandem monet oues Christi, *vt in vnitate maneant, ne offensi scandalis palearum, aream Dominicam deserant, neue propter filios iniquitatis, pascua deserant vnitatis.*

Propter aliqua scãdala ab Ecclesia non recedendum.

Idem *L. 3. contra Cresconium, c. 31.* non minùs pulchrè, quàm neruosè in rem præsentem: *Ac per hoc*, inquit, *qui pro incerto alieno malo, pacem Christi respuit, certissimè malus est: quandoquidem Cyprianus, nec pro certâ permixtorum malitiâ Zizaniorum, pacem deseruit frumentorum: qui scribens ad Maximum dixit; Etsi videntur in Ecclesiâ esse Zizania, non tamen impediri debet fides, aut charitas nostra; vt quoniam Zizania in Ecclesiâ esse cernimus de Ecclesiâ recedamus. Non dixit suspicamur, opinamur, arbitramur, conijcimus, credimus; sed cernimus, dixit: O verbum, quo cuncta dubitatio tolleretur, vt Corpus Christi non diuideretur! Si sola frumenta desideras, geme in labore agri, gaude in spe horr[ei], tolera malos in communione Sacramentorum Christi; ne ante littoris tempus, retia dirrumpendo, fias, quod tolerare noluisti.* Hæc ibi.

Tolerandi sunt mali in hac vita.

Nec minùs eleganter in eundem sensum suprà Psal: 64. *Iam in mari* inquit *capti: per retia fidei, gaudemus nos ibi natare ad-*

tare adhuc infra retia, quia adhuc mare hoc sauit procellis: sed retia qua nos ceperunt, perducentur ad littus. Littus est finis maris. Ergò peruentio, in finem saculi. Interim infra ipsa retia, Fratres, bene viuamus, non retia rumpentes foras exeamus. Multi enim ruperunt retia, & Schismata fecerunt, & foras exierunt, qui malos pisces intra retia captos se nolle tolerare dixerunt: ipsi mali facti sunt potiùs, quàm illi quos se non potuisse tolerare dixerunt. Namq; illa retia ceperunt pisces & bonos, & malos. Dominus dicit: Simile est regnum calorum Sagena missa in mare, qua congregat ex omni genere: quam cùm impleta esset educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit, inquit, in consummatione saculi. Ostendit littus, ostendit finem maris. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Eia Ciues Ierusalem, qui infra retia estis, & pisces boni estis, tolerate malos, retia nolite rumpere. Cum illis estis in mari, non cum illis eritis in vasis. Hæc S. Augustinus.

Ex quibus euidenter habes, non esse tutum exire ab Ecclesiâ, etiam prætextu manifestorum malorum: quos dum aliqui inter retia videntur se non posse tolerare, rumpentes retia, & foras exeuntes, ipsi fiunt mali potiùs, quàm illi, quos tolerare non poterant. Quod sanè dicta præcedenti §. insigniter confirmat.

Nec iuuat Aduersarios, si dicant, se ab Ecclesiâ eiectos fuisse, non verò seipsos vltrò ab Ecclesiâ separâsse. Eiecti quippè erāt, quicūq; ex illis eiecti sūnt, & gladio anathematis expulsi, quia priùs ipsi diuersitate dogmatum, quibus pertinaciter *Euasioni Aduersariorū occurritur.*

naciter adhærebant, se separauerant: cùmq; ab Ecclesiam reuocati, redire nollent, non tam inuiti eiecti, quàm vltrò ante separati, declarati sunt ab Ecclesiâ præcisi & exclusi, ac tanquam inobedientes, excommunicati.

Aggrauat autẽ potiùs illorũ secessionẽ; quòd cùm secũdùm illos, in Propositionibus ipsorũ Declaratorijs, *Cap:7 n.6.* illa Ecclesia, non desinat esse vera Ecclesia, quæ fidei & cultus, doctrinã, & praxim fundamẽtalẽ retinet: illi nihilomin⁹ à nostrâ recesserint Ecclesiâ, in qua fundamentalia saltẽ verè fidei retineri, admittunt; cùm non ausint vulgò condemnare eos omnes, qui sunt de nostrâ Ecclesiâ, reos, eo ipso, æternæ damnationis. Quomodo igitur scisſionis, & secesſionis ab eâdem Ecclesiâ nostrâ, iustam possunt prætendere rationem? Cur magis placuit, scandalum, quod ex huiusmodi separatione oriebatur, dare, quàm nobiscum, sine periculo salutis, & saluis fundamentalibus fidei, ac Cultus, persistere, etsi fortè aliqua minùs sibi arriderent? Nec valet, si dicant Aduersarij, se adiunxisse ibidẽ conditionem; Quatenùs illa Ecclesia, vinculum Christianæ charitatis pertinaciter non abrumpat: Videndum enim est, an non ipsimet Aduersarij, se ab Ecclesia separando, sicut vinculum vnitatis, ita & charitatis Christianæ, primi ruperint? Alioquin non tollit veram Ecclesiæ Christi rationem, si homines, ab illâ se separantes, aut contumaces (quantumuis fundamenta fidei dicant se retinere) per sententiam excommunicationis excludantur, alijsq; modis seuerioribus, absq; dispendio charitatis, coërceantur, vel etiam castigentur.

Placet pro Coronide, ipsum omnium præsentis sæculi Secta-

Sectarum Patriarcham Lutherum adducere: qui in declaratione quorundam articulorum hæc ait: *Quòd Romana Ecclesia sit à Deo præ alijs honorata, non est dubium. Ibi enim Sancti Petrus, & Paulus, Pontifices 46. Romani, ac tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt; vt vel palpari queat, quàm singularem habeat, ad eam Ecclesiam, respectum Deus. Quod si nunc, proh dolor, res habet Romæ, vt expediret habere meliùs: attamen neq; hæc, neq; alia causa vlla, tam grandis est, nec esse potest, vt ab Ecclesia illa separatio, aut discessio vlla fieri debeat*. Et in Epistolâ quadam ad duos Plebanos de Anabaptismo: *Audio*, inquit, *& video rebaptizationem à quibusdam vsurpari ex eo fundamento, vt in despectum Papæ faciant, tanquam ij qui nihil ab Antichristo habere velint*: quod postquā friuolum fundamentum dixisset; subdit deinde: *Nam & Christus in gente Iudaicâ inuenit Scribarum, & Pharisæorum abusus, non tamen propterea totum reiecit, quòd illi habuerunt, & docuerunt*. Et concludit: *Nos autem fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani, immò omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deuenisse. Quippè fatemur in Papatu veram esse Scripturam Sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, vt sunt Oratio Dominica, Decem præcepta, Articuli fidei: dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, immò verum nucleum Christianitatis*. Hæc ille. Quid vnus ex nostris plùs in laudem Ecclesiæ nostræ Catholicæ Romanæ, potuit dicere, quàm dixerit Primus & Princeps Aduersariorum? quicquid sit de eo, quod alibi aliud dixerit; immò & aliter fecerit.

Abuſus itaq; quos adſtruunt Aduerſarij in Eccleſiam noſtram Catholicam irrepſiſſe, vel falsò imputantur, ſi de Abuſibus in materiâ fidei loquamur; & idẽ magnâ ex parte de Abuſibus in materiâ Morũ dicẽdũ. Vel ſi in moribus aliqui reperiuntur, ij non minores, nec leuiores apud Aduerſarios de prehenduntur; neq; ſufficiunt purgare ipſos Aduerſarios, aut ſeceſsionem illorum ab Eccleſiâ; nec excuſare illos coram Deo, & hominibus, quòd in ea ſeparatione perſiſtant, & non reuertantur, vt columbæ ſeductæ, ad Arcam eiuſdem Eccleſiæ, de quâ exiuerunt, cum ramo virentis oliuæ: ruptam nimirùm pacem, & vnitatem Eccleſiæ, redintegrantes, & integram referentes, ac reſtituentes.

EPILOGVS.

HÆc eſt IDEA COLLOQVII CHARITATIVI; quod non dubito multò eruditiori & ſolidiori modo, pluribus Viris doctiſsimis in vnum congregatis, pertractatum fuiſſet, quàm à me exili admodum penicillo adumbratum. At neſcio quis boni animarum inuidus, quo minùs ad effectum perueniret, impediuit: prout alioqui ſæpiùs huiuſmodi pia conſilia legimus impedita fuiſſe. Sic S. Optatus Mileuit: L. 1. contrà Parmen: conqueritur: *A multis*, inquit, *deſideratum eſt, vt ad eruendam veritatem ab aliquibus defenſoribus Partium conflictus haberetur: & fieri potuit: ſed quoniam & acceſſum prohibent, & aditus intercludunt, & conſeſſum vitant, & COLLOQVIVM denegant, vel tecum mihi frater Parmeniane ſit iſto modo Collatio, &c.* Similiter

Difficilè Collationes Catholicorum cum Hæreticis ſuccedũt.

liter S. Augustinus, *L. 3. contrà Crescen : cap : 45.* conqueritur de Donatistis inuitatis, vt per *Collationem*, inquit, *nostram, errore sublato, Christianâ, & fraternâ societate, vnitate, charitate, pace frueremur : id intuentes quia si fieri vellent adiuuante gratiâ Dei, facillimè poterat, quicquid in causâ nostrâ esset, agnosci : Si autem recusarent, saltem diffidentia eorum non frustra illis, qui hoc à nobis poposcerunt, appareret: Factum est: conuenti sunt, recusârunt, &c.* Et in Breuiculo Collat : in Præfat : dicit de ijsdem: *Qui causam bonam non se habere sciebant, id egerunt primùm quantùm potuerunt, ne ipsa COLLATIO fieret, & vt prorsus causa ipsa non ageretur.* Sic olim varijs tergiuersationibus Hæretici Colloquia huiusmodi cum Catholicis euitare satagebant, & illa inire detrectabant.

Quid autem causæ fuerit cur nostrum quoq; indictum Thorunij COLLOQVIVM, non fuerit subsecutum, etsi tribus mensibus circa hoc fuerit laboratum, non est mei pro nunc instituti, exponere. Ex Protocollo in lucem edendo, prudens quilibet judicabit.

Interim verò & hactenus à me scripta, (quæ vberius atque præstantius ab alijs sunt exposita,) & ipsam COLLOQVII nostri Charitatiui intentionem consignans, cum eodem S. Augustino *L. 3. contrà literas Petiliani*, in fin : sic cum Aduersarijs nostris rem meam transigo: *Sapitisnè aliquid inter verum falsumuè discernere; inter inflatum & solidum, inter turbidum & tranquillum, inter tumidum & sanum, inter Diuina prædicta, & humana præsumpta, inter pro-*

Index Rerum magis notabilium.

Concilia

D.

E.

Eccle-

Iustitia

Idem

Pecca-

Scriptu-